DE EPISTOLIS
AENEAE SYLVII PICCOLOMINI

DE EPISTOLIS

ÆNEAE SYLVII PICCOLOMINI

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI
THESIM PROPONEBAT

GABRIEL PÉROUSE

SCHOLAE CHARTARUM OLIM ALUMNUS

LUGDUNI

E TYPIS PAULI LEGENDRE

14, via Bellecordière, 14

MCMIV

PROOEMIUM

Cum plerique homines, de quibus memoria exstet, aut industria sua in rebus publicis agendis, aut litterarum laude gloriam adepti sint, illum, de quo verbum facere mihi proposui, a negotiis studia minime remorata sunt; magistratibus enim simul atque eruditione clarus, quanta principem, tanta musam diligentia coluit nec minoris momenti nomen ejus nobis est, cum aetatem prospectamus, qua ipse vixit, sive annales evolvimus in quibus casus narrantur eventusque rerum, sive inspicimus quales eo tempore formae fuerint et genera scribendi. Summus utique videtur vir noster tantumque fuit illi ingenium talisque fortuna, ut aequalium suorum haud immerito in exemplum proferatur : nam de virtutibus quibus Itali, medio saeculo decimo quinto, maximam laudem acquisiverunt, nulla defuit Aeneae Sylvio Piccolomini.

Aeneas enim plurima tractavit et gravissima negotia, multas orbis partes perlustravit, neque unus reperitur ex aequalibus ejus qui tam diversis in rebus versatus fuisse videatur quam ipse, quem plures vitas, ut ita dicam, vixisse putares. Immo, cum plerique intra fortunam suam homines maneant neque ab infimo loco ad summum pervenisse multi dicantur, Aeneas nunquam eumdem vitae statum diu obtinuit neque ullius humanae condicionis expers exstitit, postquam singulos honorum gradus pedetentim ascenderat. Quem adolescentem inopia compulerat ut sese dicaret in servitutem calamoque victum quaeritaret, ipse senex in cathedra Sancti Petri sedit; cujus igitur si vitam penitus exploraveris, totam eo ipso aetatem ipsius cognosces, quia perspiciendum tibi fuerit quae mens gentium, qualis status orbis, quis hominum cujuscumque condicionis habitus. Aeneae enim adeo mutabilis fortuna fuit, ut ipse, natione quidem Italus atque animo, Austriae autem fortuitus incola, germanicas res diutissime gesserit; omni eruditione imbutus, inter homines rudes litterarumque minime cupidos plerumque vixerit; illam denique pontificalem potestatem, quam olim cum ceteris patribus Concilii basiliensis oppugnavisset, Romae papa factus obtinuerit.

Si vero ipsius opera animo perlustraveris, quantum fuit Aeneas copiosus ac varius, miraberis : omnium doctrinarum studiosus, nullam sibi alienam putavit; aetate etiam confectus et negotiosus, cognoscere semper aliquid, sive ingenio, sive memoria et recordatione opus esset, mira studiorum cupiditate

et quodam ardore juvenili certavit majorique voluptati nihil ei erat quam, quidquid aut meminisset aut didicisset, stilo posteris tradere litterisque mandare cogitationes suas. De omni re scibili, ut illo tunc usitato verbo utar, plurima excogitata subtiliter et dicta graviter prodidit : poeticae enim peritus, carmina fecit et latina et italica; historiam scribere aggressus est composuitque commentarios; « de liberorum educatione tractatum » confecit; rhetorica praecepta tradidit; praestantissimus inter homines, ut temporibus illis, geographia eruditos, « de mundo in universo, forma ejus et plagis terrae » librum emisit singulasque partes Asiae et Europae, rerum omnium memoriam complexus, descripsit; theologica etiam et philosophica scripta inter opera ejus invenies, nec laus quidem fabulatorum ei defecit, qui « Historiam de Eurialo et Lucretia se amantibus » finxit; epistolas postremo plurimas nobis reliquit.

Illorum operum nostris aetatibus quaedam pertractata sunt a nonnullis criticis, inter quos mihi occurrunt Victor Bayer et E. Nardelli (1); ille historiam Friderici III imperatoris ab Aenea scriptam annotavit; hic, librum ejusdem de liberorum educa-

(1) V. Bayer, *Die Historia Friderici III des Enea Silvio Piccolomini*, Prague, 1872; E. Nardelli, *Un umanista, Enea S. Piccolomini, precursore in parte di alcuni pedagogisti moderni*, Turin, 1901. Cf. Lesca, *I Commentarii d'Enea Silvio Piccolomini*, Pise, 1894; J. Devay, *Enea Silvio Entlehnungen in der Novelle Euryalus und Lucretia und ihre ungarischen Bearbeitung*, *Zeitschrift für vergleigh. Litteraturgesch.*, Berlin, 1896.

tione; de aliis alii disseruerunt, at liber epistolarum adhuc quasi omissum fuisse videtur. Doctissimus quidem vir, qui vitam Aeneae composuit, de epistolis ejus pauca dixit (1), haud inepta sane, sed ita concisa fuit brevitas ipsius, ut res prope intacta remaneat, neque unquam apud nos, ut puto, tentata fuit, quamvis tot aliorum epistolas litterati commententur.

Nisi fallor, hanc ob causam partim accidit, ut tantum opus quasi neglectum sit, quod nec simplex neque unum est. Etenim, cum Aeneas ab infimis ad summa perveniret, mutabantur ei simul ac condiciones et formae et genera scribendi; cum argumento, tum oratione, dissimillimae sunt inter se epistolae quas, levis adolescens, contubernalibus suis de muliercula quadam scribebat, et bullae pontificales quibus posterius Francorum vel Romanorum reges ad Turcas compellendos summus pontifex ipse factus hortabatur. Has atque illas ab uno et eodem homine scriptas fuisse, mirum est; ne nomen quidem ipsi permansit, nam hic Pius, illic autem Aeneas nuncupatur. Epistolas igitur ejus universas sine discrimine complecti, non expedit, quia aliis aliae minime comparandae sunt; quod jam Aeneas ipse intellexe-

(1) G. Voigt, *Enea Silvio de' Piccolomini, als Papst Pius der Zweite und seine Zeitalter*, Berlin, 1856-63, t. II, c. VIII, p. 277-283. De epistolis Aeneae idem auctor alias et longius quidem disseruit; hoc autem unum sibi proposuerat, cujusque epistolae diem atque elementa *diplomatica* verius indicare: G. Voigt, *Die Briefe des Enea Silvio vor seiner Erhebung auf den Päpstlichen Stuhl cronologisch geord., Arch. für Kunde osterreich. Geschichtsquellen*, Vienne, 1856, p. 321.

rat; cum enim, aetate provecta, epistolas omnes a se missas conquirere atque ordinare voluit, plures in classes eas distribuendas esse censuit (1).

Ergo, cum discernendum sit et nobis permittatur arbitrium eligendi, has solas retineamus annotandas epistolas, quas ante scripsit Aeneas quam sacros ordines intraret (2); quas autem posterius composuit, episcopus factus ac deinde archiepiscopus et cardinalis et postremo papa, epistolas omittamus, ut titulo suo opus nostrum accommodetur : episcopalem enim dignitatem ubi adeptus fuit, nomine Piccolomini vir noster uti desiit, sicut mos est Ecclesiae.

Nihil igitur nobis dicendum est de Aenea uti pontifice nec de maximis negotiis quorum tunc particeps fuit et actor. Pueritiam vero ejus atque adolescentiam, omnino praetermittendas esse non puto,

(1) G. Voigt, *Enea Silvio de' Piccolomini*, t. II, p. 279.

(2) Hoc unum mihi proposui ut illas Aeneae epistolas communiter complectar ac generaliter definiam, neque ut singulas commenter; quod cum cogitemus, omnes ad unam epistolas perquiri, non opus est; quas igitur nuper editae sunt, omittamus (G. Voigt, *Die Briefe des Enea Silvio*; Cugnoni, *Aeneae Sylvii Piccolomini opera inedita*, Romae, 1883). Plures enim quam satis epistolas habemus in uno libro collectas, quo solo utemur, ne impedita sit oratio : *Aeneae Sylvii Piccolominei senensis opera*, Basileae, 1551. Hos quoque libros per occasionem adhibebimus : Burkhardt, *Histoire de la Civilisation en Italie pendant la Renaissance*, trad. Schmitt, Paris, 1885; Monnier, le *Quattrocento, Essai sur l'histoire littéraire du XV[e] siècle italien*, Paris, 1901; Guiraud, *L'Eglise et les Origines de la Renaissance*, Paris, 1902. In memoriam vero reducamus : Verdière, *Essai sur Æneas Sylvius Piccolomini*, Paris, 1843.

tametsi nulla de epistolis superstitibus ad hanc partem vitae ipsius pertinet; pauca tamen referam, quo clarius pateat qualis fuerit Aeneas.

Natus Corsignani, in pago Senensi, ante diem quintum decimum kalendas novembris anno millesimo quadringentesimo quinto, primos egit annos in summa rerum inopia; gens enim ejus ex amplo statu in egestatem conciderat. Senas adolescentulus accessit, Universitatis doctores auditurus, Antonium scilicet Aretinum, Matteum Lupium, Johannem Spoletinum ac posterius Franciscum Philelphum, a quo epistolarem artem primum didicit. Cum vero maxime opis indigeret, invitus forum attingere tentavit neque erat ei ulla spes inter jurisconsultos unquam florendi, cum casu nova via patuit.

Sextum enim vicesimum annum agebat, cum Senas transivit Dominicus Capranica, vir summae dignitatis, Basileam aditurus ut apud Concilium oecumenicum ibidem indictum injurias tutus ulcisceretur quas ab Eugenio papa quarto nuper accepisset. Familia sua dissoluta, aliquem quaerebat cui epistolas traderet exarandas; adolescentem nostrum elegit ac secum duxit. Paulo post, cum Basileam simul pervenissent, Aeneas a Capranica divertit atque inter familiares Nicodemis Scalae, Freisingensis episcopi, aliquandiu vixit; ab eo cum similiter discessisset, ministerium suum detulit ad Bartholomeum, Novariensem episcopum et Philippi-Mariae Vicecomitis apud Patres basilienses legatum, quem secutus Mediolanum, principis gratiam sibi conciliare contendit. Cum vero episcopus Florentiam accessis-

set, per causam pacis jungendae, re autem ut summo pontifici insidias poneret et, reperta conjuratione, in carcerem conjectus esset, consilii quamvis inscius Aeneas forte poenas luisset, nisi Nicolaus Albergatus, cardinalis a Papa legatus in Galliam eo tempore missus, eum sibi familiarem assumpsisset secumque duxisset. Atrebatensi conventui Aeneas affuit, quem deinde Albergatus, Basiliense Concilium aditurus, in Scociam dimisit, ut res quasdam ecclesiasticas in his partibus componeret. Legatione peracta atque habitu mercatoris repetita Britannia, cum rex Anglorum, Albergati odio, viam clauderet, astu regios speculatores elusit; Basileam autem cum attigisset, cardinalem abiisse audivit atque Italiam petiisse.

Itineribus vero jam fessus, Albergatum sequi noluit; nihil enim ipsi proficiebat vaga illa vita, nec jam ea aetate Aeneas erat, qua rursus in domo aliena privato viro libenter serviret. Basileae, quamvis laicus, manere statuit atque inter Patres inibi congregatos adscribi. Concilio prospera omnia eo tempore contingebant, nec deerant qui synodalibus rebus lucri causa interessent; quorum exemplo Aeneas, ambitione potius adductus quam fide, partem numero praestantiorem tenebat, quae pontificem romanum conciliorum imperio subjicere contendebat. Basiliensis curiae munera obivit fere omnia : primum scriba, mox abbreviator major factus, postremo et plurimis legationibus functus. Eugenio quarto a Patribus excluso, Felicem quintum antipapam Aeneas aliquandiu secutus est legatusque missus ad Fridericum Caesarem, a quo coronatus

est corona poetica atque adeo honoratus ut, regios inter secretarios receptus, Concilium jam prope prolapsum opportune dereliquerit.

Eo tempore, epistolas de quibus agitur scribere coepit, quippe cum Viennae domicilium haberet ac suis ab amicis in Italia aut Basileae degentibus procul abesset; novos vero Caesaris in aula familiares sibi fecit, quibus et inde scribere solitus est. Praeter ceteros Gaspari Schlick, ornatissimo viro atque imperiali cancellario, acceptissimus fuit, cujus gratia Friderici inter consiliarios allectus, ad rempublicam accessit. In Germania propter schisma summa tunc erat rerum perturbatio : alii enim Eugenio ut romano pontifici parebant : alii, Felici quinto quem in papam Patres in Concilio basiliensi legerant; plerique neutri competitorum oboedire volebant, nulla quidem religione impediti, hanc autem partem aliquando amplexuri quam utiliorem reperissent. Postquam diu cunctatus erat, commodi proprii causa, Caesar Eugenii partes suscepit Germanosque ad sententiam suam perducere conatus est; ipsius autem nationis principes, regiam ut auctoritatem imminuerent, se Felicis partibus eo proniores ostenderunt; quapropter cum ecclesiasticae tum civiles res ubique permiscebantur. In illa turbulenta reipublicae tempestate, Aeneam Caesar adhibuit crebrasque legationes ei dedit ; saepius vir noster Romam se contulit ac multis germanicis conventibus interfuit, ut, quid papa concessisset, principibus nuntiaret pontificemque moneret, quibus condicionibus Germanorum oboedientia reciperetur; temporis sui

amplissimis cum hominibus versatus fuit ac secretissimorum consiliorum particeps, et se praebuit summum oratorem optimumque in rebus componendis veteratorem. Opera ejus omni re conciliata, anno millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, episcopus factus est Tridentinus (1); ceteram vero ipsius vitam praetermittimus, solas inspecturi epistolas quas ante scripsit quam episcopalem adeptus est dignitatem, nec memoramus quibus viis ad maximum pontificatum pervenerit.

Eo forsitan ipso quod posterius tantam personam sustinuit, accidit ut, quae prius scripsisset, minore forent in laude quam epistolae quorumdam aequalium ejus, Poggii scilicet vel Philelphi. His enim, qui solo calamo famam assecuti sint, si litterarum in studio versaris, prius incidis quam Aeneae, cujus libellos facta obruunt; sin autem historiam tractas, quid vir fecerit requiritur; quid autem scripserit, plerumque omittitur. Adde quod, inter opera ejus, epistolae eo minus conspicuae sunt, quo plura et graviora alia composuit; illi vero quos praediximus auctores epistolis conficiendis se fere totos dederunt, ex quo factum est ut hac in arte majus nomen acquisiverint. An autem Aeneae praeponendi sint, de hoc quaerimus atque ideo inspiciemus quid fuerit viro nostro vitae primo, deinde ingenii et postremo dicendi genus.

(1) G. Voigt, *Enea Silvio* etc., t. I, p. 3-411.

CAPUT PRIMUM

Quae fuerit Aeneae vivendi ratio

Inseparabili connexione Aeneae vitae genus atque epistolas conjungi, aperte liquet, cum nemo sit cujus epistolae mores non reddant; quod de viro nostro verissimum est, neque enim legimus unam, ut ita dicam, de epistolis ejus, qua de scribente nihil novi cognoscamus, sive de rebus a se actis, sive de hominibus inter quos vixit loquitur. Itaque omnes qui de eo memoriae prodiderunt, primam cum vitae partem tractabant, epistolis ejus maxime atque etiam usi sunt; nec quidem humilia tanti hominis initia narrandi ulla ratio, nisi ipse amicis suis singulos casus vitae scribere curavisset. At, cum de seipso saepissime loquatur, imos, aliorum exemplo, sensus suos ostentare minime delectatur; spes quidem ac sollicitudines, gaudia curasque familiaribus committit, pau-

cis autem verbis neque unquam de se multum cogitat nec mentis acie se ipsum intueri solet. quippe qui sententiam illam, primo vivere deinde philosophari, suam merito dicere possit. Quae fecerit, plenius dixit; qualis fuerit, nobis est e factis ejus colligendum, nam vix semel formam animi sui reddere tentavit, neque ita quidem ut plena fides verbis ejus adhibenda sit: cuidam enim de collegis ejus, ut amicitiae dissolutae causam exponeret, « morum, aiebat, diversitas est in hoc, quod tu multorum es, ego paucorum; tu pecuniis studes, ego eas parvi facio; tu litteris aliquando ad lucrum vacas, ego ad quietem animi sequor eas; tu rigidus et atrox, ego levis et facilis; tu cibis plus quam Venere oblectaris, ego plus Venerem amo quam cibos; tu nocte adveniente nunquam dormire et nunquam mane surgere vis, ego post coenam paululum postquam quievi dormire vellem et ante lucis adventum surgere; tu clarus, ego humilis; sunt hae inter te meque differentiae » (1).

Multo rectius quam ab Aenea ipso, ex epistolis ejus percipimus, qualis fuerit et quantum falsam proprii effigiem animi redderet, cum se modestum ac pecuniae incuriosum depingeret. Immo contra, una cupidine, honorum scilicet divitiarumque, flagrare ubicumque videtur; quibus vel humiliori condicioni suae non ingemat, vel majora concupiscere se non confiteatur, paucissimae sunt ejus epistolae, eo ceterum aptiores ad delectationem lectoris, quem nec latent hominis toedia, nec spes, nec labores.

(1) Ep. 97.

Illum cum Fortuna congredientem virum tantaque vi certantem, mente sequi placet atque epistolis ejus inde quasi naturalis eloquentia inest.

Quanquam enim nulla fere epistola pertinet ad partem Aeneae vitae qua hominibus privatis, victus quaerendi causa, calamo inserviebat, memor tamen et meliorem assecutus istius primae condicionis mentionem saepissime facit, sive conata perfecisse laetatur, sive alios propria experientia docet, sicut adolescentulum, quem, cardinalis cujusdam familiarem dominique iracundiam aegre ferentem aliquanto acerbior objurgat; eum, ut cardinalem increpare desinat, hortatur : « Tu ejus, inquit, servitor es, ejus panem comedis vinumque bibis »; quam ob causam amico persuadet omnia toleranda esse, contumelias, injurias, poenas, « quae res nullo modo quam per patientiam vinci possunt »; quantum sit asperum aetate prima animum ita domare, non nescius ipse est, « at juvenes non possunt pervenire quo volunt, nisi juvenes esse desinant seque aliquando vinci patiantur » (1). Iisdem et sibi sententiis utitur atque amare, cum jam apud Caesarem maxima in gratia sit, occasione data, indicare solet se nondum suae spontis esse : « Regi, scribit enim, magis quam meo serviendum est animo, quia non sum liber dum alienum comedo panem » (2).

Quanto saepius illa de re Aeneas agebat, tanto clarius apparet humilitatem ipsi molestam fuisse;

(1) Ep. 16.
(2) Ep. 27.

quam aegre ferret se pauperem esse, ipse quoque profitebatur. Nummariae enim difficultatis nunquam oblitus, quam puer atque adolescentulus passus erat, pecuniam minime despiciendam plurimis in locis asseveravit. De avaritia vero per jocum accusatus fuit a Joanne Campisio, qui mirabatur Aeneam ipsi, librum empturo, prospexisse viamque ostendisse diligenter, qua sumptum faceret minimum; ei vir noster, se purgandi studiosus, mentem suam explicabat : « Scis omnes nos cum senescimus (ut Terentii sententia est) ad rem fieri attentiores; quamvis ab re sit, quo minus restat itineris, eo plus (sicut Cicero ait) quaeritur viatici parare; credo id accidere quia, multas perpessi calamitates in juventute, illarum meminerimus timemusque ut revertamur in eas. Animus juvenis, sanguine fervens, ebullit, furit, insanit, nil pensi habet, non pecuniam pendit, quoniam se facile lucraturum sperat : nunc bella molitur, nunc mercaturam cogitat, nunc regales curias meditatur, credit amari, credit sibi ab omnibus subveniri si opus fuerit. Vetulus spiritus scit quam rarae sint amicitiae, quam fallaces amores, quam difficilia lucra; scit temporalia bona (sine quibus negat Aristoteles plenam felicitatem) in manu esse fortunae, quae si amiserit, illa invita recuperare non potest. Ego, mi Joannes, satis multa probavi, pecunias quasi fimum contempsi; nunc, cum illas vellem, nusquam apparent; video verum esse quod Juvenalis inquit : haud facile emergunt quorum virtutibus obstat Res angusta domi. Si mihi puer ut Virgilio et tolerabile fuisset hospitium, potuissem et ego cantare sub

antro Pierio, quod non potest sane paupertas facere; mihi curandum est ut vivam atque auro non caream, quo nocte dieque corpus eget. Da igitur veniam si emptor quam minimum dare cupiam » (1).

His quidem verbis satis profitebatur egestatem sibi odiosam, ac pecuniae quaerendae curam minime alienam esse; quo autem Joanni Campisio talia scribebat, eodem die epistolam Petro Noxetano mittebat, qua paupertatem, forma ac specie orationis mutatis, haud ineleganter laudabat (2). Nec raro, saepissime vero rerum inopiam similiter verbis ornabat, modo quidem aptius ad persuadendum, modo autem minus accommodate, sive amicis pauperibus animum dare volebat, sive sibimet, mediocritatem aegre ferenti, solatia parabat cum scribebat alteri. Hac de re quando scripsit, se ad illas gravissimas sententias nonnunquam erexit, quibus maximi antiquos inter philosophos uti solebant (3); hujusmodi autem in epistolis ex animo non loquebatur, quippe qui, cum se minoribus contentum diceret, altiora tamen omnibus votis peteret.

Nec major fides habenda est Aeneae, si ruris amoenitatem laudat, haud inepte sane; immo summa venustate gaudia celebravit, quibus fruitur ille qui vitam ab negotiis procul publicis in agro sibi delegit (4). At cum perorabat : « Quis hanc non laudet

(1) Ep. 44.
(2) Ep. 45.
(3) V. g. Ep. 82.
(4) Ep. 91.

ac desideret vitam », « Tu ipse, Aeneas », sciscitanti respondere licuisset, nam novus ille Maro, qui tanta voce canebat agros, ne unum quidem diem inter pastores libenter egisset. Honorum enim saeva cupiditas tenebat eum neque unquam vacuus videtur; sed constanter atque omnibus viribus elaborabat ut praepotentes quoscumque sibi conciliaret, aemulos removeret, viam propriam inter inimicitias atque incerta rei publicae ad summa tuto dirigeret; molestias omnes ac voluptates, quas percipere ii solent qui nituntur ad honores, vehementer percepit et Aeneas, unde epistolarum ejus propria species.

Primis in epistolis, quas, cum Basilea paulo ante discesserat, amicis inibi remanentibus mittebat, sollicitudinem quamdam ostendebat ac desiderium illius civitatis in qua, laetos inter contubernales, cuicumque in Concilio acceptus, aetatem quietam traducere potuisset, nisi ambitione in aulam Caesaris elicitus fuisset. Apud exteros, ejus, ut aiebat, modos vivendique genus penitus abhorrentes, novum vitae genus in principio moleste tulit; neque antiquorum sententiarum oblitus, graviter incommoda lamentabatur eorum, qui vana specie allecti, honores captare conantur. Fortunatos nimium qui vitam segregem agunt: « Nos, inquiebat, animorum impulsu caecaque cupidine ducti, regum atria petimus, principum in oculis versari volumus »; et rursus : « Ille beatus est qui cupiditati terminum ponit; qui vero nimios optat honores et nimias poscit opes, is sibi excelsae turris tabulatum erigit, unde altius cadat majo-

remque det ruinam quam opinionem » (1). Sed alea jacta erat : « Jam vela, scribebat, ventis solvi et in intimum maris devolvor dietim » (2).

In proposito enim stetit atque, omnibus impedimentis improbo labore remotis, haud parva sibi apud Caesarem auctoritate parta, constantiae fructus decerpere coepit. Inter voluptates, quas tunc ex ambitione satiata capiebat, nulla fuit Aeneae gratior quam eos, a quibus paulo ante tenuissimus homo despiciebatur, de rerum suarum mutatione quasi jocandi causa certiores facere; neque inconsulte consiliario cuidam ducis Mediolanensis, cujus opem ipse petebat, se scribebat talem factum esse qualis apud Romanorum regem Vicecomiti mutua vice ministerium praestare posset, « si passeris esset aliquod officium apud aquilas » (3); eodem modo, cum archiepiscopus mediolanensis epistolis ejus persolvere dedignaretur, homini arroganti segnitiem his verbis excutiebat : « Me neque quaerentem, neque somniantem quidem, Caesar noster Fredericus Augustus in suum secretarium arcessivit, cui jam servio in statu graduque minime inhonorato, quo ex loco scribenti mihi non arbitror te responsionem negaturum » (4).

Romanorum regis cum benevolentiam assequi intenderet ac tueri, nihil Aeneae gravius erat nec

(1) Ep. 42.
(2) Ep. 28.
(3) Ep. 47.
(4) Ep. 29.

solum operae nunquam parcebat, sed etiam religioni utilitatem praeponere solebat. Basileae enim, cum ceteris patribus ibidem congregatis, pontificem romanum conciliorum generalium auctoritati subjiciendum esse firmissime asseveraverat ac Felici quinto antipapae, Eugenio quarto derelicto, oboedire festinaverat. Ubi autem secutus fuit Caesarem, qui neutri parti consentire eo tempore volebat, domini exemplo ac prima sententia statim ejecta, unus, ut dixit, « ex indifferentibus » continuo factus est ac pari pertinacia precibus obstitit eorum, qui perfugam ad signa basiliensia revocabant, amicorumque suorum italorum, a quibus ut romanae curiae serviret vehementer incitabatur. Nonnunquam quidem patrocinia quaerere tentabat subtiliterque rationem reddere, cur tanto in discrimine partem alteram non amplecteretur : dicebat se non esse qui se vellet hujusce divisionis participem facere : theologorum esse hanc disputationem; sibi satis fore, sentire quod plures sensissent (1). Apertius autem cum familiaribus loquebatur ac plane confitebatur se libertate abdicavisse, « nec, scribebat ipse, quid animi habeam quaerito, dum verba et opera mea a voluntate principis mei non discordent, ad cujus intentionem captivare volo ingenium meum » (2) et alias : « ego peregrinus sum, consultum mihi est Gnatonis offensum suscipere; aiunt, aio; negant, nego; ipsi si fuerint sapientes, laudem ferant; si stulti, eorum

(1) Ep. 72.
(2) Ep. 29.

quoque dedecus erit, nullius inviseo gloriam et nullius dolere infamia volo » (1).

Tanto obsequio bonum cum in imperiali cancellaria locum assecutus esset, quam maximam utilitatem inde percipere cupivit. Nihil vero carius habebat quam ecclesiastica beneficia obtinere, quibus quanquam laicus non excludebatur, ut mos temporis erat. Quantulacumque enim impetrata praebenda, nisi locuples, sui quidem potens factus fuisset nec rerum necessarium inopia conflictatus si qua calamitas accidisset. Itaque beneficia, quibus olim a Concilio basiliensi in mediolanensi tridentinoque dioecesibus verbo donatus, propter Ecclesiae dissensiones, nunquam frui potuerat, apprehendere omnimodo conatus est ac pro suo jure reditus vindicare. Hanc in rem omni ope atque opera enitentem Aeneam ex epistolis ejus intueri placet. Cum tamen plurima his atque illis eo argumento sedulo scripsisset neque aliquid profecisset, animum dimittere coepit atque amicis, a quibus constanter invitabatur ut papalem causam complecteretur, afflictus aegritudine se respondebat ipsis utiliorem esse inimicum quam socium : « Si ad vos deficiam, mox fortunae impetum sentietis, quia non vult esse ubi ego sum » (2) ; alteri cum de beneficiis ita dilapsis pariter scribebat : « nec usquam, perorabat, in rebus ecclesiasticis sum fortunatus » (3), verba mi-

(1) Ep. 45.
(2) Ep. 51.
(3) Ep. 61.

randa in ore hominis in cathedra apostolica sessuri.

Harum taedio curarum defatigatus, munere suo in cancellaria minus delectabatur; cum vero Romam, Caesaris orator, schismatis componendi causa, felicissimum iter jam confecisset, ac majore dignitate singulis diebus frueretur, Joanni Freund, secretario civitatis Coloniensis, haec amara mittebat : « Credo te etiam audivisse me Romam profectum mirarique idcirco; sed scis parendum esse principibus aut cedendum curiae; nemo ut vult apud principes vivit; mancipia sumus et fortasse jumenta, qui alienum panem mordemus; vivunt omnes infeliciter qui orbem incolunt; nullius tamen vita miserior est, quam eorum qui ad alienum comedunt appetitum, ad alienam sitim bibunt, et ad alienum somnium dormiunt » (1); paulo ante, Petro Noxetano, cui dicebat sibi fore jucundum dulces lares revisere et amoenam Italiam repetere : « non arridet, subjungebat, tantum mihi hera fortuna, ut cum fastu et gloria sperem me patriam posse remeare; satis mihi fuerit nisi mendicus redeam » (2).

Aliqua tamen beneficia, multo sudore ac labore, eo denique tempore obtinuit quo apud Gasparem Schlick, cancellarium imperialem, maxima in gratia erat; quamobrem epistolae ejus aliquanto sereniores fiunt; scribit enim : sibi bene esse, se bene habere, bene sperare, quod sibi non tam sui causa jucundum est, quia paucis esset contentus, quam ut amicis ac

(1) Ep. 89.
(2) Ep. 45.

necessariis ceteris possit aliquando prodesse (1).

Cum vero primos gradus ascendisset, eo vehementius appetivit altiora; ad honores ergo ecclesiasticos, quos solos, ut homini suae gentis, sibi patere arbitrabatur, viam sibi munire jam cogitavit ac sacros ordines amplecti ut mitra potiretur. Haec dum meditabatur, religione tactus, incertum se praebebat an tanto munere dignus foret, quia « nihil, aiebat, est in hac vita mortali durius quam pontificatum gerere in quo, si Deo places, hominibus displices; servare medium arduum est » ; eadem autem in epistola, quasi scrupulum sibimet eximere voluisset, neminem scribebat episcopatus capacem esse, nisi « virum scientia juris et omni litterarum peritia clarum, in rebus agendis diu versatum apud principes et singulari solertia praeditum » (2).

Illis virtutibus manifeste non carebat atque, omni metu sublato, episcopatum ambivit, quo accepto, majoribus dignitatibus mira celeritate processit. Ulterius Aeneam sequi, nostrum non est; satis enim ostendimus eum, cujus epistolae nostrae, perpetua honorum cupiditate flagravisse, quadam inexsuperabili vi coactum, ut Fortunam obstinate persequeretur.

Tanta, ut ita dicam, quotidianaque exercitatione, inter alia sibi peperit homines penitus ut pernosceret; quo quidem excelluit ceteros fere temporis sui inter auctores, libris potius quam rerum experientia doc-

(1) Ep. 66.
(2) Ep. 79.

tos. Mores ergo cum castigabat vel curialium artes irridebat, vulgares illas et pervagatas declamationes proprio quodam dicendi modo versare solebat. Nonne de amicis recte dixit : « Haec amicitia hodie viget, cui utilitas est annexa; Stoicorum illa, sola virtute gaudens, jamdudum explosa est » (1). Nonne nostris etiam temporibus vera sunt scripta ejus de rusticis, « qui postquam vident se non posse obligationibus satisfacere, curant ut obligationes ipsae quam maximae sint » (2) ; vel de mancipiis, « quae ubi peccarunt, prius clamare et vociferari incipiunt quam domini crimenque aliquod excogitant quod heris ascribentes, oblivionem peccatorum suorum inducant » (3).

De aulis vero, ubi tamdiu versatus erat, quando scribebat, majore impetu animi incitabatur ac plurima reperiuntur in epistolis ejus de curialibus acute dicta. Haud inficete quidem, cum Caesar Aeneae causa duci Mediolanensi commendatitias litteras misisset, se nimium confidere negabat, quia « litterae semel tantum loquuntur, aliquando etiam nunquam, maxime in ducali curia, ubi epistolae undecumque veniant, per secretarios aperiuntur et, si libet illis, duci ostenduntur; sin vero minus, aut cloacas incidunt, aut tabernas aromatum, piper aut crocum contenturae » (4). Nervosius autem et, quanta olim

(1) Ep. 26.
(2) Ep. 75.
(3) Ep. 77.
(4) Ep. 19.

Tacitus, tanta vi et gravitate, quam periculosa sint regum atria exprimebat Gaspari Schlick, qui tamen, sicut et ipse, apud Caesarem officia obibat ; principibus, scribebat enim , « si millies cum periculo capitis servieris, modicum vero aberraveris, mox peristi ; nihil enim violentius est aure tyranni ; suspiciosi omnes sunt, tum curiales invidi promptique, nedum si adsit, sed si absit quoque, criminari delictum; perierunt omnia servitia si semel non recte spueris, et sunt nonnulli, qui tunc citius servum perdunt, cum majora sunt obsequia, nam cum videant se multa illi debere, potius delictum cupiunt quam obsequium praemiare » (1). Ceterum, tantum aberat quin civitatem popularem regno anteponeret, ut de Alfonso rege Siciliae locutus diceret : « Si posset Italia suo pacari sub dominio, magis probarem quam sub communitatibus, quia cor nobile regium virtutes praemiat » (2).

Ex altera parte, vitae generis causa diligenter discernendus est a ceteris, ut hoc verbo utar, humanistis, inter scholas plerumque versatis ; quos cum Italia aut municipium ferme retineret, omnia latebant, quæ in itinere conficiendo discuntur. Aeneas vero, longe lateque peregrinatus, sive adolescens victum quocumque petebat, sive posterius legatus a Caesare missus erat, cunctas prope orbis christiani partes perlustraverat, Italiam scilicet Galliamque, Britanniam, Scociam ac Germaniam usque ad fines Unga-

(1) Ep. 42.
(2) Ep. 39.

riae; ex quo fit ut plurima legamus in epistolis ejus his minime dissimilia, quae nunc nobis de iisdem regionibus a novis viatoribus narrari solent. Tametsi enim in medio aevo plures, quam vulgo creditur, fuerunt peregrinatores, plerique haec facilius observabant externos apud populos quae suis proxima videbant : doctos tenebant Universitates, clericos res ecclesiasticae et mercatores negotiatio. Omnia autem quaecumque inspiciendo Aeneas adeo gaudebat dum loca mutabat, ut inter curialium miserias, hanc scriberet esse numerandam, quod peregrinari perdifficiliter possent, quippe qui regio lateri perpetuo assisterent : « Palatia, templa, picturas facilius spectare mercatores atque privati homines quam curiales possunt, cumque reges perraro suorum regnorum limites exeant, urbes inspicere non nisi unius regni poteris nec quid apud alias gentes sit preciosum videndi tibi copia dabitur » (1).

Justa quidem querela ipsi non erat, qui tot in terris perlustratis et circumspectis plurima didicisset. Nec tantum loca inspicere solebat, sed etiam ac magis diversos hominum mores atque habitus observare Italisque Germanos comparare (2). Non est dubium quin ei, ut civi Senensi, multa trans Danubium displicerent ; quod quidem ipse confitebatur cum Joanni Peregallo, scriptori apostolico, se scribebat nunc in Stiria, nunc in Carinthia, nunc in Carniola inter medios barbaros saevasque nationes

(1) Ep. 166.
(2) Ep. 67.

constitutum (1). Qua mente autem peregrinandum sit, non ignorabat; optime vero exprimebat : « non regiones nobis aptandas esse, sed nos ipsos regionibus conformandos » (2). Qua verissima sententia usus in via, quanquam deerat ei sermo teutonicus, ubicumque tamen multa notabat quae nobis in epistolis tradidit ; e quibus haec excerpam de civitate Viennensi scripta : « Incredibile videri potest quot per dies singulos in civitatem victualia ingeruntur : ovorum atque cancrorum multae quadrigae adveniunt ; pistus panis, pisces, carnes, volatilia sine numero afferuntur ; ubi advesperascit, nihil venale ex his invenies. Vindemia his ad quadraginta dies protenditur, nullo non die trecenti currus onusti vino bis terque inferuntur ; ducentos et mille equos in dies ad opus vindemiarum exercent ; ex villis praeterea ad festum usque Martini libertas omnibus est vinum in urbem redigere ; incredibile dictu est quanta vis inducatur vini, quod vel Viennae bibitur, vel ad extraneos per Danubium contra cursum aquae magno labore mittitur ; ex vino quod Viennae venditur minutim, decimus denarius principi cedit ; ea res auri duodecim millia quotannis ad cameram defert, in reliquum parum oneris civibus inest. Caeterum in tanta et tam nobili civitate multa enormia sunt, die noctuque rixae ad modum praelii geruntur ; nunc artifices adversus studentes, nunc curiales in artifices, nunc isti opifices adversus alios arma

(1) Ep. 61.
(2) Ep. 62.

sumunt ; rara celebritas absque homicidio peragitur, frequentes caedes committuntur ; ubi rixa est, non sunt qui dividant contendentes, neque magistratus neque princeps custodiam (ut par esset) ad tanta mala adhibent. Vinum domi vendere nihil existimationi officit : omnes fere cives vinarias tabernas colunt, stubas calefaciunt, coquinam instruunt, bibulos et meretrices arcessunt, hisque cibi aliquid cocti gratis praebent ut amplius bibant, sed minorem mensuram dant. Plebs ventri dedita, vorax, quicquid hebdomada manu quaesivit, id festo die totum absumit ; lacerum et incompositum vulgus ; meretricum maximus numerus » (1).

Vitae ergo suae condicione, contigit Aeneae ut praeter ceteros humanistas, hoc ejus praecipuum fuerit, quantum litteris tantum rebus actis excellere et, quae legendo edidicerat, propria rerum experientia correxisse et consummavisse. Eruditione quidem atque animo praestantissimos inter philologos numerandus, victu autem et habitu negotiis deditus ac civilis vir, epistolas sibi similes composuit, industriae suae curisque consonantes, eoque nobis pretiosissimas. Ejusdem enim temporis plerique scriptores, quorum epistolae supersunt, pedagogi sedebant in palaestris ubi vitam agebant a republica omnino relegatam; cum in disciplinis, tum in humilibus inter se jurgiis vanisque disputationibus omne studium collocabant ; si quis apud principem forte habitabat, famosos libellos laudationesque merce-

(1) Ep. 165.

nario stilo componebat, prout imperabatur, neque unquam rei publicae particeps erat. Idcirco, cum plurimis doctissime scriptis confusa, nonnulla legimus apud illos inania, sive quisque gloriosius de seipso praedicat, sive saepius gravissimae inter eos intorquentur contumeliae. Incredibili enim superbia cum plerique intumescerent et sibi invicem inviderent, epistolis quisque utebatur ut aemulorum existimationem offenderet; alteri altero crimina inferente, nec semper immerito, et mulierum quoque et adolescentulorum fama atterebatur, pessima ut stupra collegae tribuerentur. Aeneae nostri longe dissimiles erant labores, nec leguntur apud eum epistolae scholasticae; plurimae vero historiarum scriptoribus utilissimae.

Rumorum enim quorumcumque curiosus, et quid nuntii Caesaris in cancellariam afferrent, et quid amici sui passim dissipati mandarent, tanta cura aucupabatur, ut eum nihil in Europa notandum lateret. Eo verissimus, ut Plauti verbo utar, famigerator factus, modo sponte, modo rogatus, epistolas componere saepissime delectabatur eo solo argumento, ut quae audiisset, ordine narraret. Tali ratione cum potentium in gratiam venire studeret, quanta diligentia, tanta et urbanitate utebatur neque operae parcebat : una enim in epistola, cardinali Juliano Cesarini missa, postquam se dixerat aliqua duntaxat scitu digna relaturum, quidquid novi esset scripsit de Bononiensibus, Januensibusque ac Senensibus, de rege Aragonum et duce Mediolanensi necnon Venetis Florentinisque, nec solum

totam italicam rem publicam et militarem ita exposuit, sed ea simul quae agebantur in Ecclesia inter papam Eugenium Conciliumque basiliense et Fridericum regem Romanorum (1). Ab illo quidem cardinali provocatus erat ; at sponte longissimam duci Mediolanensi misit hanc epistolam, quam et nos utiliter legimus de maximis rebus eo tempore actis, clade scilicet Christianis a Turcis Andrinopoli illata ac bello Suitensibus a Delphino gesto : « quae tametsi non hujusmodi sint ut audiri libenter debeant, expedit tamen et secunda et adversa cognoscere » ; quare, ut sibi amicitiam ejus conciliaret, Aeneas Duci se tantum dicebat deditum, ut praetermittere nullatenus posset, quin novitates ad se delatas ipsi significaret (2). Eadem mente, collegae cuidam in romana curia constituto, quae de rebus germanicis ad aures ejus pervenerant, omnia nuntiare festinabat ut, epistola sua cardinalibus exhibita, tali officio eorum benevolentiam sibi comparare posset (3).

Adeo autem delectabatur Aeneas, si quid novi audierat, rem stilo ita committere, ut amicos quoque, epistolis familiaribus, de omni republica certiores facere libenter soleret. Quaecumque quidem perceperat, litteris indiscrete mandare nolebat; rationem vero his verbis ipse reddit : « nec enim alia de causa secretarius vocor, nisi ut quae audio quae-

(1) Ep. 3.
(2) Ep. 52.
(3) Ep. 94.

que video digna silentio in abditis mei pectoris claudam » (1) ; sed eadem in epistola, ubi talia profitebatur, plurima tamen enarrabat, neque incerta vel vaga, subtilia autem ac pressa; atque in rerum tenuitatem descendebat. Immo, quae evenissent plane exponere parum habebat, ac rerum causas exprimere saepissime aggrediebatur et, quae primis consecutura essent, sagaciter praevidere. Quantum ergo annales optimi, tantum nobis ad historiam scribendam utiles epistolae ejus, ex quibus, ne singulas persequar, has tres solas commemorabo : primam scilicet, Johanni Freund Agrippinae civitatis secretario missam, cui Aeneas describebat singulas in Ungaria de regno res agitatas (2); alteram, qua Joanni Gers, regio protonotario, bellum a Ludovico delphino trans Rhenum illatum enarrabat (3); tertiam denique, controversiam inter pontificem romanum et Germanos, de schismate exstirpando, epitomen pleniorem (4).

Cum vero in epistolis suis res ab aliis gestas plerumque enuntiaret, simul et ipse scribendo nonnunquam aliquid agendum moliebatur. Negotiosarum quidem illarum epistolarum, major pars ad ipsum vel rem privatam pertinet. Multum autem abest quin sint omittendae hujusmodi epistolae quibus, cum illustrissimi viri nostri vitam, tum et saeculi ejus

(1) Ep. 61.
(2) Ep. 63.
(3) Ep. 87.
(4) Ep. 98.

mores ususque pernoscere possimus ; neque enim frustra, si hujus temporis instituta civilia inquisieris, Aeneam perleges praeposituram mediolanensem vel alia sua beneficia repetentem, in minimis etiam summa perspicuitate ac ratione usum (1). Ceterum, orationis urbanitas te delectabit : alacri enim acutoque neque unquam sollicito stilo officia flagitare solebat et gratias agere ; quod ut ostendam, haec proferam, Johanni Anach canonico Tridentino missa: « Quod tibi non scribo saepius, causa est tua in rebus meis diligentia : ita enim res meas curas, ut nihil sit opus scribere, nisi velim gratias tibi agere, quae pro factis non est digna recompensatio; nec nunc aliquid scriberem, nisi novus casus supervenisset, qui tuo indiget auxilio : credo te scire plebem Sarantanae Vallis per dominum decanum nostrum meo nomine acceptatam esse ; in ejus potiunda possessione vis fit nec absque timore sum quod alius illic se intruserit. Tu procuratoris mei officium geris, patronus meus es, advocatus, protector; sicut in praebenda fecisti, ita in ecclesia facias rogo. Pater meus dominus Franciscus te admonebit, si qua in re opus sit adminiculo tuo : illi, obsecro, ausculta et in omni meo negotio ipsum quasi me audi, qui non solum in rebus meis, sed in corpore et anima jus habet. Ego, quia nihil pro te possum, nihil facio; animus adesset si facultas praeberetur; tu si scis emolumento aliquo honori, voluptati, beneplacito tibi me

(1) Ep. 30, 58, 59, 69.

esse posse, injuriam feceris amico ni commonueris. Vale » (1).

Nec de se solo suis negotiosis in epistolis Aeneas mentionem facit, at saepius de amicis suis vel familiaribus, qui plures dignitate crescente facti patrocinium ejus implorabant; notitiam vero morum atque hominum illius aetatis ad habendam, haud inutiles istae epistolae videntur; modo enim Marianum Sozini senensem, utriusque juris doctorem, ad Germaniae partes se translaturum et jus Viennae lecturum, Joanni Mayers cancellario Austriae diligentissime commendat, eo usus argumento, quod, « cum ille sit ex primis Italiae doctoribus, multi remanebunt Viennae, qui nunc Baduam studii causa vel Papiam pergunt et omnis Bavaria, Suevia, Franconia et Bohemia ac etiam Hungaria juris ediscendi causa Viennam petent » (2); modo pro aliis commendaticias aliis mittit (3); modo, et quidem creberrime, se scribit operam amicis daturum apud Caesarem ministrosque ejus ac, re incepta, exitum indicat, se omnia fecisse protestatus, hortatus tamen clientes ne sibi ipsis deessent.

Publicas vero res, epistolarum suarum posteriorum prope solum argumentum, in ea etiam prima vitae suae parte quam tenuimus, haud raro Aeneas litteris jam agitat. Cum enim in cancellaria imperiali, ut secretarius, epistolas conficeret, quae Caesa-

(1) Ep. 17.
(2) Ep. 40.
(3) Ep. 71, 73, 75.

ris nomine mitterentur nec nobis disserendae occurrant, tantum erat ei studium domino placendi tantaque in media republica versandi voluptas, ut amicis quoque de eisdem negotiis privatim interveniendo scriberet, Regis consiliis auctoritate sua gratiaque propria apud familiares indulgendi cupidus. Immo, tales epistolae nobis utiliores forte videbuntur quam instrumenta publica ab eo ipso vel collegis ejus confecta et nunc in archivis deposita, nimia cautione nonnunquam referta inanibusque verbis, quibus Aeneae stilus, ut hominis privati, plerumque carebat. Freisingensem, exempli gratia, cum ecclesiam vacantem rex Romanorum Henrico Schlick mandari vellet atque idcirco apud papam et ex altera parte apud concilium obnixe instaret, Aeneas et ipse, qui cardinalis Arelatensis, Patrum praesidentis, Basileae notitiam habuerat, ac pariter Johanne Tolner, in romana curia procuratore, familiariter utebatur, huic atque illi rem Caesaris etiam atque etiam commendabat, utrique maximum obsequentiae praemium, Germaniae scilicet oboedientiam, astute praenuntiando; cujus negotii intima nobis eo modo patefecit (1). Nec minore calliditate Johannem de Ragusio, cardinalem a Felici quinto antipapa creatum, urbanissime admonere conabatur, perinde ac si concilii commodis inserviisset, re autem ut Patres basilienses ad voluntatem regis attraheret, seque ipsum eadem in epistola damnabat, nam dicebat : « nihil formidabilius quam homo bilinguis, nihil terribilius

(1) Ep. 56, 183.

quam hostis familiaris » (1). Nec minore studio cardinali Strigoniensi longissimam epistolam scribebat, ut se Caesaris ad rationes adjungeret atque adjuvaret ut rex Ungarorum coronaretur Ladislaus puer, Friderici nepos; plurima ac firmissima intendit argumenta ; philosophiam historiamque et commoda in subsidium evocat neque universalibus praeceptis rationes miscere dubitat humiliores, quod est proprium ejus ingenii; exordium quoque notatione non indignum : « Si quis, ait enim, me roget cur ego natus in Hetruria de statu regni Ungariae loqui praesumam, respondebo me hominem esse et, ut Terentianus ille Chremes dicebat, humani nihil a me alienum putare; dicam me Italum scire plures mei generis homines in regno vestro et opibus et honoribus auctos ad magnam gloriam evasisse; dicam me legisse historias vestras invenisseque Ungaros multis victoriis claros nomen ad astra tulisse atque idcirco, sicut natura jubet, eorum me virtutibus affici; quid plura, Christianum me dicam sollicitudinemque habere ut christiana religio in tuto collocetur, quod sane fieri non potest nisi et murus ejus, qui est Ungaria, sit incolumis » (2).

Eo quidem, dum Caesari inservit ac suo rerum agendarum studio indulget, simul et nobis pretiosissima monumenta tradit, cujus jam, ut narratoris, auctoritatem ostendimus. Tertium autem fructum ex epistolis ejus percipere possumus, si temporis ipsius

(1) Ep. 58.
(2) Ep. 78.

casus moresque pernoscere volumus, nam Aeneas, ut rationem amantissimus homo, rumores edere vel etiam res ipsas scribendo promovere pro nihilo putavisset, nisi de quibuscumque longe lateque disseruisset. Hujusmodi epistolas, ne longius faciam, plurimas praetermitto, quibus tamen reipublicae peritissimum se praebebat : nunc enim de rebus Ladislai regis considerate scribebat, unquamne Ungariam Bohemiamque sceptro recuperare posset (1); nunc, quo modo Pontifex romanus in gratiam cum Caesare rediturus esset, argutissime praenuntiabat (2); nunc de rebus italicis ac de Alphonso rege, extra Siciliam regni proferendi cupido, haec inter alia verissima dicebat : « Regem Aragonum tantum extendisse alas suas, nescio an Italiae conducat : quanquam illa tam fessa est, ut respirare sub quocumque desideret; videant tamen nostri ne serpentem in gremio nutriant; alta est dominandi cupido, nec terminis clauditur ullis ; Hannibali non satis Africa fuit, quae pars orbis tertia creditur; Alexandro in modum carceris angusti fines mundi videbantur; nemo existimat generosum animum unius regni terminis conquiescere » (3). Condicionem vero Imperii, temporibus illis certo regimine carentis, cum apud principes germanos ad deliberationem habendam congressos pro Caesare cum Cancellario versabatur, his brevissimis aptissimisque verbis describebat :

(1) Ep. 13.
(2) Ep. 49.
(3) Ep. 21.

« Petis ex me de cursu dietæ ut quid sperem tibi renunciem; satisfacit desiderio tuo quantum potest Cancellarius ; me nec scire neque significare plus eo fas est; si me tamen divinare vis, quia poetarum est praesagia scribere, pauca subjungam : ego ut tibi verum fatear, non puto dietam hanc aliis esse steriliorem; scis quid hoc verbo sentiam : fecundae sunt omnes dietae, quaelibet in ventre alteram habet » (1).

Nunquam autem sagacior Aeneas erat, quam cum de rebus ecclesiasticis loquebatur, in Germania tunc agitatis; Caesar, neutram partem amplexus, cum Papam tum Concilium legatis continuo sollicitabat frequentissimasque dietas convocabat, reconciliationis, ut dicebatur, causa, re autem ut schisma, plurimis quaestuosum, eo usque produceretur donec ipse oboedientiam suam alteri competitorum quam maximo pretio vendere posset. Quae cum ita essent, inter factionum artificia veritatem discernere plerumque arduum est utilissimusque nobis monitor Aeneas, cujus judicia atque auguria, in epistolis ejus inserta, re semper probata fuerint. Haec quidem sola, exempli gratia, proferam, quae scribebat episcopo Chimensi, Caesaris legato, dum dubitabatur novone concilio generali an principum laicorum conventione Eugenii papae Felicisque antipapae disceptatio commodius discuteretur : « Vidi nuper litterarum copias quas reges imperatori nostro scribunt in rebus Ecclesiae perpendique omnes aegre ferre

(1) Ep. 72.

schisma, quo christianus populus impraesentiarum conturbatur, multumque demiratus sum regis Franciae judicium, quod cum tuo concurrere cognovi. Memini enim cum alias simul essemus deque hac ipsa re sereremus sermonem, quonam pacto pacari Ecclesia quiret, dixisse te : Ego si Caesaris essem loco, vellem cunctos rogare principes, unum ut in locum mitterent oratores, qui plenam potestatem haberent res Ecclesiae componendi; nam quod principes facerent, et populus sequeretur et clerus. Ecce quia rex Franciae viam hujusmodi recipit; quis dubitet reliquos omnes assensuros, si natio germanica consentiat ? Jam permittit rex Franciae Caesari nostro congregationis hujusmodi vocationem. Vos, qui habetis rem in manibus, amplecti hoc debetis regique nostro et electoribus suadere ne oblatam negligant viam, quia salus hinc pendet maxima; nec his oportet vel Papam requirere vel Concilium; nolint volintque illi convenire, principes possunt seque in hanc vel in illam partem declinare. At non erit hoc concilium ? non sit; quid ad nos ? non de nomine, sed de re quaestio est; satis est si schisma de medio auferatur; vocetur quocumque nomine qui aufert schisma. Stultus quidem Senis debitorem in judicium traxit, tanquam is negaret debitum, qui solidum se suscepisse fatebatur cum stultus duodecim denarios peteret; apud Senenses tum idem est solidus, quod et denarii duodecim. Sic in re nostra stultus erit, qui tolli schisma per conventum principum negaverit, quia concilium non vocitetur illa congregatio; vocetur synagoga vel

conventiculum, non curo, dum pacis exinde sequatur effectus. Sed tu et collegae tui in campo estis, ubi hoc geritur bellum et in hac area ubi haec palea teritur: videte ut fabam bene cudatis, ne dum schisma Ecclesiae tollere curatis, divisionem in imperio inducatis. Hoc non dico vestri causa, quia rectum scio propositum vestrum, sed ut elaboretis, quod Germania unius animi sit unumque papam colat et in unius fidei sinceritate gradiatur. Haec volui scripsisse, quia gavisus sum regis Franciae sententiam convenire cum tua: tu tamen stude, ut illi sit locus, nisi quid melius interim cogitasti » (1).

Quanti momenti sint hujusmodi epistolae, aetatis illius historias ad investigandas, evidentissime liquet; quod quidem haec sola nomina satis ostendunt hominum, cujuscumque condicionis ac nationis, quibus scripsit Aeneas: quos inter deprehendimus Philippum-Mariam, ducem mediolanensem, et Sigismundum, Austriae ducem; Julianum Cesarini, Sanctæ Sedis praestantissimum legatum, cardinalesque nonnullos utriusque oboedientiae; Chimensem, Mediolanensem, Novariensem, Pataviensem, Freisingensem episcopos; e doctoribus eo tempore florentibus, Joannem Carvajal ac Thomam Haselbach; Gasparem Schlick, imperialem cancellarium, et secretarios Coloniensis Pragensisque civitatum atque Austriae cancellarium; scriptores plurimos in romana vel basiliensi curiis constitutos, Aeneae olim collegas, e quibus pauci domum se receperant, in Britan-

(1) Ep. 55; cf. ep. 25, 65.

niam aut Lusitaniam; milites nonnullos, sicut Procopium de Rabenstein, Bohemum; viros denique litterarum peritos, e quibus dicam Joannem Aurispam.

Quanta ergo operibus proprie historicis a se minore cum libertate scriptis, tanta vel potius majora Aeneas ad historiam componendam epistolis suis contulit; quas etiam si non discendi causa legas, pondere atque alacritate ac diversitate praeponendas existimes ceterorum epistolis humanistarum, et primam illam laudem vitae suae genere vir noster assecutus est.

CAPUT SECUNDUM

Cujus ingenii fuerit Aeneas

Secundo loco, inquirendum est qualis ingenii fuerit Aeneas, nam homini rationis experti optimae etiam vitae condiciones parum proficiunt ut epistolas magni momenti scribat. Ille vero quantum aptus esset ad singula quaeque vel observanda vel dijudicanda, jam diximus; qui in peregrinatione, primus inter homines medii aevi, omnium curiosus speculator, ne nundinas quidem, quae Prugi in burgo dioecesis Freisingensis per octavam divi Martini perdurare solerent, notare dedignaretur (1); qui autem, cum famigerator amicis quid esset novi scriberet, epistolas condiret sententiis ac judiciis, nec quidem communibus, at proprium viri ingenium redolentibus. Subti-

(1) Ep. 91.

lissimum enim erat Aeneae judicium, a quo nihil tutum, sive laudabat, sive vituperabat; omnia censor attingebat, de omnibus animo libero disputabat nec Caesaris ipsius actis parcebat, miranda res ut in homine quem cautissimum et prope abjectum ostendimus; istius autem curialis, nunc nuper proni in obsequium, calamus adeo liber erat, ut cancellario ipsi, exempli gratia, haec scribere non dubitaret : « In litteris aliis quas cum praesentibus mitto, significavi tibi majestatem regiam diem sancti Georgii delegisse, in quo vellet petere Nurembergam et sic in concilio conclusum est; sed non est Sybillae folium aut immutabile fatum, quod in concilio decernitur; vidimus nos in dies, quod heri placuit, hodie displicet; ita gestum nunc est; terminus enim qui erat ad sanctum Georgium receptus, nunc in Ascensionis diem commutatus est; mihi haec mutatio suspecta est » (1).

Imperatorem quidem Fridericum animo semper incertum fuisse, satis constat; cum autem ille consideratus Aeneas dominum auderet deridere, quantum ejus fuerit studium ratiocinandi, nobis intellegendum est; nec solum publicis negotiis quibuscumque vel quid causae, vel quid consequentiae perpendere eum delectabatur, sed etiam communis vitae res tota mente contrectare, quippe qui solertissima speculatione et jucundo stilo materiam humilem, immo nonnunquam vilissimam ornare soleret. Nonne enim Petronii raram omnia perspiciendi facultatem vimque acerbam attigit Aeneas in hoc loco, quem uno im-

(1) Ep. 42.

petu scripsit in epistola sua « de miseriis curialium » ut inter alia demonstraret non tales esse noctes domi Caesaris quales a vulgo crederentur : « Plurima inter dormiendum sunt taedia ; saepe in asseribus dormiendum est, in paleis, in lapidibus nudoque solo, in vento, in pluvia, in frigoribus ; si plumas fueris assecutus, ad pediculos, pulices, culices et alias infinitas, vel mordentes vel deterrime foetentes bestiolas te prepara ; nunquam solus dormies, nisi cum socium cuperes. Linteamina immunda, foetida, lacerata et quibus nuperrime pestilentia sunt mortui, tibi dabuntur. Comes adjungetur scabiosus, qui se tota nocte fricabit ; alius tussitabit ; alius foetido flatu te perurgebit ; interdum et leprosus tibi conjacebit ; alius frigidus est, et vestimenta ad se rapit ; alius febre calidus et lodicem cum omni tegumento supra te jacit ; semper vel ille tibi molestus erit, vel tu illi videberis taediosus. Dormitur frequenter in communi, ubi vel X vel XX sunt ; ubi unus stertit, alter pedit, alius calces jactitat, nunquam ante medium noctis est silentium. Veniunt ebrii dormitum, confabulantur, garriunt, raptant, rixantur, pugnant et se invicem caedunt. Surgent mingentes ; saepe apud stabula sunt cubicula tua et equos fremitantes vel se mordentes audis. Nunquam scies ubi jacere debeas, nisi domini dormitum iverint ; sunt in diversoriis multi advenae, multi ignoti et vita curialium plerumque in hospitiis publicis statuitur, ubi continuo fures timendi vel formidandi sicarii sunt, neque res tuas unquam tam diligenter custodies, quin aliquid detractum reperias, nam et ipsi fures in thalamo tuo

dormient et te sopito assurgent, resque tuas sub te quoque jacentes eripient. Adsunt meretrices, ancillae, lenones, joculatores, lusores, parasiti, qui jurgia continuo proludunt tantusque clamor exoritur ut nedum dormire, sed nec qui prope te est loquentem socium intelligere queas. Adde loquacitatem eorum qui nocte quam longa est nunquam qüiescunt : absentem cantat amicam, ut Flaccus ait, multa prolutus vappa nauta atque viator; nulla dormienti quies datur; quod si unquam rumores et alia mala somnus vinceret ac oculos claudere coeperis, evestigio revocaberis et aliquo casu surgere compelleris » (1).

Sed de his satis; forte enim putaveris Aeneam omnia frigido observavisse animo neque unquam, ut Stoici solent, affectibus indulsisse. Impatientiae autem ac lentitudinis expers, quid sit amor odiumve optime sciebat,ex quo fiunt epistolae ejus humaniores. Equidem sese praeter ceteros omnino dilexit, quantumque studium sibimet ipse navaverit, jam diximus; in amicos tamen, dum utilitati propriae primo providisset, supra quoque vidimus eumdem diligenter operam conferentem. Immo, plurimis ejus familiaribus in epistolis, Aeneam deprehendimus in amicitiis valde tenacem eorumque studiosissimum cum quibus consuetudines fecerat; magna cum singulis et novissimis etiam urbanitate utebatur; erga veteres autem, majore simplicitate. Procul enim a suis patriaque versatus, amicitiam eo constantius coluit, quod

(1) Ep. 166.

altero solamine plerumque carebat; summo gaudio, epistolis istis dimissis quibus rem publicam agitabat, vel stilo humiliore facetias Petro Noxetano describebat, vel cum Joanni Campisio philosophabatur : « Inter omnia, aiebat, hominum oblectamenta, nulla major voluptas est, nulla jucundior, nulla securior, quam cum fideles amici invicem coeunt » (1). Amplius quidem eidem Joanni Campisio, quid de amicitia ipse sentiret, scripsit Aeneas his verbis : « Si me nolim aliter laudari, quia non sum laude dignus, hoc certe sine rubore dicere possum, me postquam amare occepi pertinaciter continuare ; non sum in capiendis amicitiis facilis nec quemcumque dignor accipere in amicum ; superbus sum fastidiosique stomachi ; nisi melior me sit, nemo me habebit amicum ; sed ut tarde in amicitiam venio, sic recedo sero, tenax sum amicorum » (2).

Cognatorum quoque nequaquam oblitus, nepotem suum Anthonium epistola pungebat atque adolescentulum vehementer sollicitabat, ut aliquod vitae genus saltem honestum eligeret litterasque solas coleret, his omnibus quibus modo laetabatur parvi contra factis, aetate, valetudine, forma, deliciis, voluptatibus (3). Alia autem in epistola, patri suo missa, se praebet suorum fratrum ac sororum liberorumque eorum perstudiosum atque amicissime cum senem hortatur ut filium ejus suscipiat, se dicit « gratias Domino referre, qui partum feminae figuravit in

(1) Ep. 79.
(2) Ep. 51.
(3) Ep 4.

marem, ut apud patrem ejus ac matrem aliquis parvus ludat Aeneas et solatia praestet avis, quae debebat pater impendere »; neque inconsulte ibidem se pollicetur nepotibus opem laturum, si bono loco unquam fuerit (1), qui enim, summus pontifex factus, suos honoribus beneficiisque cumulaverit atque in media sua civitate Senensi monumentum hactenus integrum erexerit « gentilibus suis » inscriptione dedicatum.

Aliae vero ei caritates erant et plurima verba in epistolis ejus amantissima reperiuntur de patria, quam sane eo carius diligebat, quod longius a solo natali versabatur, rudioresque peregrinus inter gentes, humaniores cives suos majoris faciebat. Quam ob causam hoc quoque factum est, ejus in saeculo rarissimum, ut potius Italiam universam patriam sibi reputaret quam civitatem suam Senensem, cum contra plerique ipsius nationis homines, municipiorum suorum exiguas inter fines inclusi, vicinos ejusdem linguae ejusdemque gentis aut advenas aut etiam hostes eo tempore saepius haberent. Philosophiam quidem quamdam aliquando simulabat ac scribebat « omne solum forti patriam esse seque malle extra patriam bene vivere quam in patria male » (2). Veriora cardinali Juliano Cesarini, ut legato pontificio apud Ungaros constituto, haec mittebat ut exsuli desiderium leniret : « Nec enim aut Alpes Juliae aut Danubius, sicut arbitror, amorem

(1) Ep. 15.
(2) Ep. 20.

patriae ex vestro pectore ademerunt, sed puto idem contingere vestrae reverendissimae paternitati quod mihi, quia quanto longius a paternis recedo laribus quantoque diutius suavissimo Ausoniae coelo privor, tanto magis desidero naturale solum videre ibique vivere et mori » (1); veriora quoque eadem in epistola haec subjungebat, postquam luctuosas patriae discordias narraverat : « Et sic misera funditus Italia laceratur, quae unica solum causa facit ut exsilium, quod mihi ad tempus delegeram breve, diutius protraham, quoniam minus gravia sunt aliquantulum quae audiuntur quam quae videntur mala ».

Alias pariter se fatebatur sermonem italicum maximo gaudio inter peregrinos audivisse (2), nec raro amicis scribebat quantum ipsi jucundum fuisset, Germania derelicta, domum se recipere : « Vellem, aiebat, et ego revisere patriam et ossa parenti reddere; nihil plus timeo quam in peregrina terra jacere, quamvis undique tantumdem est ad inferos et ad superos viae; sed habet minus, nescio quomodo, doloris inter ulnas fratrum, sororum, filiorum atque nepotum mori et licet ubique amici comparari possint, nullae tamen familiaritates tam dulces aut stabiles sunt quam in patria » (3).

Neque etiam eodem alienas omnes gentes animo conspiciebat : hanc autem illi praeponebat, nec verbis tantum, ut videtur, sed ex animo. Germanos

(1) Ep. 3.
(2) Ep. 15, 91.
(3) Ep. 65.

enim, inter quos prospere versabatur primosque gradus honorum assecutus erat, tanti faciebat ut Caesaris atque Electorum ejus in rebus ecclesiasticis cunctationes in laudem converteret (1) et primas partes in christiana republica eisdem imponeret his verbis : « Mea opinio fert tanti ponderis tantique nominis esse Germaniam, ut in quamcumque partem reliquam Christianitatis portionem ad se trahat, dummodo integra sit » (2). Domus Austriae, apud quam illis temporibus in Germania summum imperium, plenis manibus laudes in astra extollebat; cujus originem « ad altum usque Julii sanguinem » repetendam esse affirmabat et principes ejusdem generis magnifice celebrabat, sub quibus, uti dicebat, « Germania et Italia, quasi columbae sub aquila tremebundae tulerunt imperium » (3).

Cum ergo Germaniae adeo faveret patriaeque simul amantissimus esset, utriusque conciliandi causa, hanc opinionem suis in epistolis libenter explicabat, quam olim in libro suo « De Monarchia » Dante Alighieri primus exposuerat, germani scilicet imperatoris ope antiquam Italiae fortunam esse resurrecturam; ea mente, episcopo Pataviensi scribebat, intestinis inter Bononienses, Venetos, Florentinos bellis primo memoratis : « Si Caesar cum aliquo exercitu Italiam peteret, omnium harum rerum moderator existeret; sed non sapiunt haec nobis nec

(1) Ep. 65.
(2) Ep. 89.
(3) Ep. 13.

nos aliis sapimus; ut homines imperare sciunt, sic subditos habent oboedientes; nisi vos Germani, ad quos imperium translatum est, majorem reipublicae curam habueritis, timeo ne dives illa et insignis Italorum tellus, quae quondam imperii caput fuit et adhuc sub imperio se fore fatetur, in alias deducta manus et nomen mutet et jugum » (1).

Eo vero dissentiebat Aeneas ab omnibus fere civibus suis, quibus illo tempore Germanorum dominatio jamjam excussa minime renovanda videbatur, opinioneque vicinior erat sive philosophorum aevi medii, sive potius recentiorum quorumdam, quorum opera Italia, postquam una facta fuit,sicut vir noster optaverat, Germaniae amicitiam affectavit, eo etiam magis quo aversiores a Gallia hic atque illi se pariter praebuerunt. Aeneas enim, cum in Francia, cardinalem Nicolaum Albergati secutus, aliquandiu mansisset multoque longius Basileae in concilio versatus esset, ubi nostrates numero praepollebant, alienissimum in Gallos animum suum saepissime suis in epistolis ostentabat, de quibus ceterum nullam fere misit homini, ut ipse dicebat, gallico: nam verbis Gallo vel Franco prope nunquam utebatur, quae sane reputabat honestiora. Levitatem nostram Italo cuidam scribebat se abhorrere (2), lepidus pudor ut in homine cujus videbimus mores nimia gravitate minime laudandas. Si cladem a Ludovico Delphino Suitensibus illatam enarrare cogebatur, ita rem

(1) Ep. 81.
(2) Ep. 25.

ostendebat ut victoriae gloriam auferret (1), atque alias, quid de nobis sentiret, amplius his verbis expromebat : « Mihi enim ut credas velim, nullam esse gentem quae Gallorum superet ambitionem; nostri praeterea inimici sunt nec unquam nostri sanguinis hominem diligunt, nam cum sint ipsi pleni fastu viderique optimi velint potius quam esse, Italos oderunt, maxime quod se praecellunt et quia eos virtute nequeunt imitari, invidia prosequuntur et quibus ipsi potissimum abundant vitiis ea generi nostro adscribunt » (2).

Ex eo quidem fit ut minor Aeneae fides adhibenda sit, si eum scripturus historiam lectites, ne nimio favore inquinata judicia credas; eo autem ipso gratior ex altera parte legenti videtur. Quid enim in epistolis magis probatur, quam veritatis color sententiarumque planitas? Qui scribit, oportet eum reddere quid cogitet aud agat ita simpliciter ut ipsum quasi viventem deprehendamus et, quo natura vehementior et acrior erit ille, eo humaniores jucundioresque epistolae ejus.

Hujusmodi vero laude Aeneas excellit, cui, cum vehementissimi, tum diversissimi fuerunt affectus atque inclinationes. Eum enim, qui posterius, sacris ordinibus acceptis, sanctissimus vixit, se adolescentem libidinibus dedisse constat e primis epistolis quas, Basilea paulo ante relicta, amicis inibi remanentibus mittebat : Glyceriam quamdam mulierculam deside-

(1) Ep. 87.
(2) Ep. 11.

rabat, de qua, ut aiebat, nunquam tantum ipsi scriberetur quantum libenter audiret (1). Multo tamen tranquilliore animo de eadem cum Nicolao Amidano aliquanto post loquebatur, cui id solum praecipiebat, ne nimia cum veritate omnia ipsi referrentur : « decipi, ut aiebat, seipsum volebat et ignorantia potius delectabili quam scientia molesta frui » (2). Constantiam sane alterius sua propria metiebatur, qui laetos inter combibones moribusque procaces liberius ubicumque viveret crimenque illatum defenderet quod nec sanctior esset David rege nec Salomone sapientior. Antiquum, aiebat, et vetus est hoc delictum nec scio quis hoc careat ; « loquatur hypocrita seque nullius culpae scium dicat ; ego nullum meritum in me scio solaque mihi divina pietas spem facit misericordiae, quae nos labiles fecit et ad lasciviam proclives » (3). Ne stilo quidem pepercit plurimaque scripsit obscena, concinna autem neque injucunda, sive patri inverecunde narrabat amatorium casum qui ipsi intervenerat in diversorio quodam Argentinae, ubi oratoris munus gerebat ; sive, a Bertholdo Lunenburgensi ad coenam cum collegis vocatus, hospiti epistola responderet, tanto sale plena atque ita impudica, ut Martialis epigramma legere credideris (4).

Cum tamen adolescentiae cupiditates deferbuerunt, voluptates abjecit nec sera castimonia gloriari tenta-

(1) Ep. 28.
(2) Ep. 8.
(3) Ep. 15.
(4) Ep. 23.

vit; Joanni Freund, amico suo, sibi stomachum facere luxuriam confitebatur his verbis : « Mihi hercule parum meriti est in castitate; namque, ut verum fatear, magis me Venus fugitat quam ego illam horreo; sed ago Deo gratias, quia non est major appetitus quam potestas » (1). Qua mente cum esset, interdum factum est ut, suae prioris incontinentiae taedio confectus, mala quadam immodicaque verborum atrocitate epistolis inveheret in mulierem, « fallax animal, varium, crudele, absque fide, plenum dolis » (2), atque amicum eo modo hortaretur : « Fuge, obsecro, omne femineum genus, relinque hujusmodi pestem ; cum feminam vides, diabolum esse credito » (1). Tantae irae nonne causam imprudens patefecit increpando « omnibus infideles esse feminas, senioribus quidem infidelissimas » ? (2). Leniore autem animo saepe scribebat se non indignari alios amare dum ferret aetas aut, si aliis, quod expertus erat, meretricem indicabat juvenum esse « expilatricem, virorum rapinam, senum mortem, patrimonii devoratricem, honoris perniciem, pabulum diaboli, januam mortis, inferni supplementum » (3), se simul agnoscebat ipse severiorem hominique similem qui, morbo liberatus, consilia daret aegrotis. Immo, cum jam dimissus erat, amatoriam epistolam, stilo semper inflammato, composuit (4), a Sigismundo

(1) Ep. 92.
(2) Ep. 83.
(3) Ep. 106.
(4) Ep. 123.

Austriae duce rogatus, qui scriptum nomine suo puellae cuidam alliciendae mitteret; quare tali petitioni annuisset, principi ipsi Aeneas explicabat his verbis, quibus nova ejus pudicitia haud fera videtur: « Scio humanae vitae condicionem, nam qui non amat in adolescentia, in senio postmodum amat, quo tempore derisui est et vulgi fit fabula, quoniam aetas illa amori inepta est; nosco praeterea amoris consuetudinem, qui in juvene torpentes virtutes excitat; hunc in armis exercet, illum in litteris; et studet quisque id agere propter quod amicae placeat » (1).

Principi adolescentulo adeo facilem cum se praeberet, suos tamen mores corrigere statuerat ac matrimonii dignitatem sentire coeperat; ejus enim exstat epistola, qua uxorem viro, congruis modis, reconciliare tentabat (2) et Petro Noxetano, uxorem ducturo, se scribebat idem consilium animo volvere, « si quam invenisset suae opinioni convenientem » (3).

Alterum autem erat ei fatum, quem ratio temporum atque ambitio amicorumque hortationes jamdiu admonebant ut sacros ordines amplecteretur. Hoc quidem Aeneae est maximae laudi, quod sacerdotium accipere noluit, dum sibimet ipse diffidebat; impulsionibus hujusmodi cum restitisset, « et adhuc, scribebat, cavi ne me sacer ordo involveret; timeo enim continentiam, quae licet laudanda sit, verbis tamen quam factis probabilior est et philosophis

(1) Ep. 122.
(2) Ep. 99.
(3) Ep. 50.

magis quam poetis conveniens » (1). Ad extremum consilii certus, haec Joanni Campisio mittebat: « Unum addo quod mirabere ; jam ego subdiaconus sum, quod olim valde horrebam, sed recessit a me illa animi levitas qua inter laicos crescere cupiebam, jamque nihil magis amo quam sacerdotium fiamque Deo dante infra octendium diaconus et suo tempore sacerdotalem recipiam dignitatem ; hoc si Noxetano nostro et Jacobo Calvo dixeris, scio tecum mirabuntur, sed eligendum est aliquando vivendi genus quod inter Christicolas duplex est, laicorum et clericorum, et illi rursus ut nosti distinguuntur. Mihi in ordine beati Petri manere decretum est, in quo gratiam mihi Deus elargiatur, ut quae sibi placent solum cupiam faciamque » (2).

His verbis propositum suum Aeneas ostendebat, sacerdotalia officia laudabiliter exsequi, quod re fecit, sicut dicendum foret, nisi secundam ejus vitae partem praetermittere statuissemus. Satis quidem probavimus et virum et epistolas ejus morum diversitate humaniores fuisse.

Eo major illa diversitas fuit, quod, cum se libidinibus dederet, vivendi tamen praeceptorem se profitebatur, qui philosophiam sibi quoquo tempore arrogaverit ac philosophi nomen saepe repetierit (3) ; virorum enim sapientia clarissimorum dicta familiaribus mediis in epistolis libentissime inserere sole-

(1) Ep. 50.
(2) Ep. 93.
(3) Ep. 72.

bat (1). Hujusmodi sententiae maximo in studio omnibus tunc erant nec minore cura, quid foret universalis, homines illius aevi undecumque quaerebant, quanta nos, quid singularis, nunc exquirimus ; quaecumque ergo sententiose scripserat Aeneas, per Conradum quemdam collecta, operibus ejus in editione basiliensi supposita sunt : « Operae pretium me facturum sperabam, ait in prooemio hujus compilationis auctor, si ea, quae ad mores formandos et vitam mortalium recte instituendam conferre maxime existimarem, veluti gemmas excerperem » ; illa in « gnomologia » quadringentae triginta septem sententiae leguntur, ex epistolis nostris desumptae, quanto communiores, tanto olim probatiores ; de quibus has referam : « patientia unicum est contra invidiam remedium valentissimum ; nemo est dives cujus cupiditati nihil est satis ; nihil gerendum est quod postea sit excusandum ; nulla temeritas tuta est et nulla injuria perpetuo stabilis ; liberalitas inter ceteras virtutes maxime homines allicit ; tempus est moderator et arbiter omnium rerum ».

Inde vero nova nascitur epistolarum utilitas, si unquam investigaveris quo modo homines illius aetatis antiquam philosophiam, tunc avidissime renovatam, cum christianis praeceptis composuerint. Quinto decimo saeculo exeunte, plurimi floruerunt graeca romanaque disciplina adeo imbuti, ut religiones patrias aut clam aut palam spernerent atque etiam insectarentur ; quas ob causas apud eos a fide

(1) Ep., 4, 10.

christiana cultus antiquitatis disjunctus fuerit, nobis praetermittendum est ; dicendum vero ex Aeneae epistolis quid ipse aequalesque ejus de his plerumque senserint.

Veterum Aeneam studiosissimum fuisse discipulum, non mirum est, nam primis ab annis Philelphum aliosque hujusmodi magistros audiverat ac posterius, cum vivebat in Germania, litteris solatia assidue captabat ; antiquitatis quidem in familiaritate adeo continua versabatur, ut victus quadam consuetudine potius quam lectione et memoria novisse videatur priscos illos, quorum nomina, dicta vel scripta in epistolis ejus toties reperiantur. Ciceronis, quem dicebat fuisse « linguae latinae principem », verba saepissime commemorabat, vel ut sua facta probaret, vel ut amicos efficacius hortaretur (1) ; Senecae quoque epistolas, quas penitus noscebat, legendas pluribus indicabat (2), nec Juvenalis oblitus e satiris versum excerpebat, si de fortuna mobili verbum faciebat (3), Terentiique sententias libentissime colligebat (4). Praeter illos, Virgilium atque Horatium diligenter coluit, atque inter Graecos Platonem ac Demosthenem ; paucissimi autem sunt Latini, vel minimi quidem, quorum in epistolis ejus nomina non legantur ; quos quidem minus litterarum quam officiorum ut magistros ac sapientiae doctores observavisse videtur.

(1) Ep. 4, 5, 44, 105, 106, 111.
(2) Ep. 5, 105.
(3) Ep. 38, 105.
(4) Ep. 44, 105.

Nec tantum scriptores antiquos Aeneas creberrime commemorabat, sed, ubi locus dabatur, rerum etiam antiquarum ab historia argumenta vel exempla petebat, qui nunquam de amicitia scriberet neque in medium Orestem Pylademque vel Scipionem ac Laelium vel Perithoum cum Theseo proferret (1) ; si de homine irato loquebatur, et verba Platonis et quid evenerit Architao Tarentino sponte occurrebant ei (2) et, inundationem Danubii si forte enarrabat, Pyrrham memorabat ac Deucalionem « Protheumque deum pelagi » (3). Hujusmodi quidem commemorationes, immodico usu omnino detritae, frigidissimae nunc plerumque existimantur; eo modo autem orationem ornare, quando epistolas conficiebat Aeneas, novissime in consuetudinem venerat, atque ista scribendi ratio apud plurimos eo tempore nondum reperiebatur ; apud nonnullos, minus opportune aptata videbatur ; ex quo fit ut vir noster et ingentissimae lectionis, tunc difficillimae artis, homo dici possit, et sagacis auctorum intellegentiae et imprimis erga antiquitatem summae venerationis.

Veteres ergo inter philosophos diu penitusque versatum Aeneam, veri quadam similitudine captus, ex epistolis ejus inter Stoicos forte numerares ; quorum quidem doctrinam ceteris excellere aliquando scribebat (4) praeceptaque Joanni Freund, cujus amasia fugerat, his verbis aptissime praedicabat :

(1) Ep. 19, 71.
(2) Ep. 16.
(3) Ep. 103.
(4) Ep. 51.

« Viri est sic suas rationes constituere, ut nihil novi possit accidere ; animadvertenda sunt omnia futura et praeparandus est animus ad ea ferenda, si accidunt mala ; nam quae praevisa sunt minus feriunt jacula ; si amicus mortuus est, moriturum scire debebas ; si perditae opes sunt, sciendum erat haec fortunae bona ad nutum fortunae ponenda fore ; si amica recessit, consideranda fuit instabilitas mulierum, quarum voluntas in horas mutatur » (1).

Aliis vero potius accommodandam quam sibi ipsi Zenonis doctrinam, ut res ostendit, existimabat libentiusque forte secutus fuisset Epicurum quem scribebat « virum aliquando magnum, a Philosophis temporis ejus magis verbis quam factis reprobatum » (2). Affectibus enim, ut diximus, haud solutus erat atque honorum ac pecuniae minime contemptor. Aliquem tamen ex antiquis auctoribus, quibus familiarissime utebatur, fructum perceperat, non disciplinae quidem compositionem, illam autem humanissimam philosophiam, rebus ex intimis haustam, haud sane sublimen at certam promptamque et singulo die utilem, cujus apud nos, septimo decimo saeculo, fabulatorum optimus argutissime praecepta dedit. Hujusmodi sententiae crebro leguntur apud Aeneam, qui dicit « nobis non ut volumus, sed ut possumus, vivendum esse coaptandamque tempori vitam nostram » (3) et alias animum servitori domandum esse,

(1) Ep. 83.
(2) Ep. 166.
(3) Ep. 86.

ne indignetur si immeritas poenas aliquando luat (1); prae ceteris otium sapientis laudat; haec enim de Francisco Bossio, qui civitatem suam minus honeste dereliquerat, obsidionis ut pericula fugeret, alteri mittebat: « Laudo ego consilium suum, nam qui potest in pace vivere, is damnandus est si se ingerat bellis; nemini bellum est utile, nisi cui status praesens est gravis; Franciscus vir dives est et sua fortuna contentus; sapit certe rumores fugiens et lites fugit, ex quibus nihil lucrari potest » (2).

Iisdem in epistolis forte miraberis si alia repereris, vehementius quidem et multo gravius scripta, quibus Aeneam christianum fuisse deprehendimus animo etiam et mente, nec tantum nomine vel consuetudine; eo quoque tempore, quo voluptates maxime quaerebat, patriae tamen religionis illiusque fidei semper memor fuit, quam prima aetate pie tenuerat, cum Bernardinum, ut ipse Senensem et celeberrimum praedicatorem, avidis auribus audiebat ac semetipsum adolescentulus vovebat diebus duodecim pane et aqua victurum (3). Quid enim acrius quam quae scribebat episcopo Novariensi, ut poeta levis leviorem antistitem haud immerito corrigeret: « Nihil est anima praestantius; hanc colere, hanc curare prae ceteris debemus, alia caduca sunt, fluxa, mortalia: haec in aeternum manet, cui si bene studuerimus, aeterna gaudia; si mala vacaverimus,

(1) Ep. 16.
(2) Ep. 59.
(3) Ep. 16.

aeternos cruciatus per illam sentiemus » (1). Quod ad propositum crebro reversus, Friderico Tergestinorum cancellario scribebat : « Quia senectus adest urgetque mors, cogitabo quomodo bene moriar ; id enim est denique recte philosophari, id est scire, id est esse sapientem ; nam qui jura novit et astrorum cursus et pluviarum ventorumque causas et argumentandi rationes et mensuram terrae et carminis et orationis vires et omnem harmoniam, is tamen nihil scit, nisi mori sciat ; ultimus humanorum actuum mors est ; qui omnia recte fecit et in fine deficit, is frustra operatus est ; insulsus poeta est qui actum quintum negligit ; sic qui mortem nescit bene concludere, demens est ; curandum est ergo mihi ut finem bonum faciam ; satis lusi, satis puer et juvenis fui, satis mundo servivi, immo nimis ; jam hora me admonet, redeundum est in viam, faciam nisi fallor » (2).

Aeneam vero, cum antiquitatem maxima veneratione coleret, et fidem christianam tanta vi servavisse, forte tibi mirum erit ; at ille Ecclesiae praecepta veterumque sententias inter se minime repugnare putabat, eo posteriorum humanistarum dissimilis qui, ut diximus, laeto deorum agmine quodammodo resurrecto, religionem rabiose praestrinxerunt, alii rationibus apud Platonem inventis, alii facetiis eo acerbioribus quo major ipsis usus erat Aristophanis ac Juvenalis. Nec quoque conferendus est Aeneas

(1) Ep. 22.
(2) Ep. 77 ; cf. 82, 88.

cum majoribus nostris qui, sicut ipse quidem, Ludovico magno regnante, pariter et antiquitatem et religionem coluerunt; qui enim inter eos veri christiani fuerunt, apud veteres leporem solum concinnitatemque quaerere solebant, neque illa vivendi praecepta quae summa cum fiducia Aeneas petebat ab eisdem ; mentis ergo aequalium suorum singularis exemplum nobis erit, clarissimum et gravissimum, ut hominis inter medium aevum et saecula recentiora versati.

Utraque quidem disciplina suis in epistolis undique se praebebat imbutum nec minores agebat gratias Joanni Tuskoni, Bibliam mittenti uno volumine scriptam « quod circumferri commode posset » (1), quam Joanni Campisio, quem sibi Aristotelis Politicas emere jusserat (2) ; Graecos Latinosque cum patribus Ecclesiae solute conciliabat, dissensionibus quasi praetermissis et locis quibus convenirent diligentissime deprehensis : ceteris praeponendos dicebat Stoicos « qui sunt Evangelio propinquiores » (3). Si Joannem Freund hortabatur ut amoris inhonesti servitutem discuteret, et Ovidii remedium et Evangelii verba de fornicatione simul proferebat (4) neque aliter, dum contra propriae libidini patrocinia quaerebat, cum Antonio Caesareque et Davidem et Salomonem commemo-

(1) Ep. 85.
(2) Ep. 82.
(3) Ep. 51.
(4) Ep. 92.

rabat (1). Nobis quidem insolitum est cum antiquitate pagana Hebraicas historias isto modo miscere, at Aeneae Roma vel Athenae non videbantur ab Hierosolymis ita longinquae; cum enim ruris amoenitatem laudare coeperat, Horatium contestabatur, Senecam Catonemque majorem ac Diocletianum neque ideo praetermittebat paradisium terrestre (2) aut, si castarum exempla mulierum proferre volebat, et Sabinas nominabat et Saram Rebeccamque ac Rachel (3). Inter Philosophos, ut dicebat, cum Platone vel Zenone, Mosem quoque vel Heliseum numerandos putabat omnesque pari veneratione colebat (4). Id esse sibi opinioni, ipse alio loco nos monere curavit, cum et sacras et profanas litteras principi utilissimas Sigismundo duci Austriae scripsit his verbis, quae forsan haud ingrate legentur: si enim, ait « laudare aliquem aut vituperare volueris, et Quintilianus et Cicero te docebit ; si bellum suscipiendum erit et armis opera danda, Vegetius modum ostendit et Livius et Quintus Curtius et Justinus et Lucius Florus et Suetonius et Salustius Crispus et historicorum cuneus.... ; si quo modo rem publicam gubernes scire volueris, legendi erunt tibi Politicorum libri quos Aristoteles composuit... ; ad regendam familiam et teipsum, utilis erit Oeconomica Ethicaque Aristotelis, tum de

(1) Ep. 15.
(2) Ep. 5.
(3) Ep. 9.
(4) Ep. 166.

Officiis Cicero et epistolae Senecae omnesque libri ipsius; quomodo regenda sit uxor, scripsit Franciscus Barbarus Venetus (1); quomodo liberi educandi, Plutarchus; quomodo te cum amicis habere debeas et quomodo in senectute, Cicero; idem quoque de mortis contemptu et aliarum passionum scripsit in Tusculanis; morales virtutes quomodo amplectendae sint, et hi quos modo retuli auctores et post eos Macrobius facunde tradiderunt; vis agriculturam cognoscere, Virgilius Georgicorum te admonebit; vis orbis situm mentis oculis perlustrare et diversarum provinciarum situs ac mores intueri et quid quaeque regio ferat et quid quaeque recuset, adsit Plinius de naturali historia, adsit Ptolemaeus, Solinus, Isidorus Hispalensis; vis coeli sidera et planetarum cursus et grandinis et pluviarum et fulminis causas scire, ad Aristotelem redito, Senecam, Virgilium; vis regum mores et fastidia principantium perscrutari, secundum Senecam in Tragoediis legito; vis plebeios homines et milites gloriosos et lenonum insidias et servorum deceptiones, ut evitare illas possis, intellegere, Plautum tibi et Terentium assumito; vis quomodo fulminanda sint vitia edoceri, Horatius, Juvenalis et Persius in promptu sint; vis pastorum consuetudinem cernere, Bucolicon Virgilii habeto; vis fabulas gentium et fastos et tristium miserias et amantium epistolas et amoris remedia nosse, Naso te versibus erudiet nec

(1) Francesco Barbaro, *De re uxoria*, Paris. 1513; cf. Philippe Monnier, *le Quatrocento*, Paris 1901, I, 172.

Statius Thebaidos vel Achilleidos inutilis erit. sententiis gravibus ubique refertus. Post haec vero ut fias perfectior et, cum de religione cogites, tum de salute animae, Hieronymi libros evolves, Augustini, Ambrosii, Gregorii, Lactantii, Cypriani, Leonis; scripturam sanctam semper domi habebis et nunc vetus nunc novum intueberis testamentum » (1).

Seriorum studiorum ita amatorem, cum simul vitam improbam plerumque duceret, Aeneam ex altera parte deprehendimus modo frigidum speculatorem, modo amore affectum vel odio; pervarium ergo taleque ei erat ingenium, quale epistolarum decet auctoribus. Illa diversitas, qua inter aemulos maxime praecellit, singulis in paginis apparet operis, cui tantum vitae ac leporis inserit, ut ingens volumen haud aegre evolvas. Quemadmodum quidem ex epistolis, in quibus de republica disseruit, percepimus quantam utilitatem ejus vitae genus Aeneae scribenti praebuerit, nunc legendae sunt epistolae proprie familiares, quas apertiore composuit animo, ut videatur quatenus viri ingenium operi congrueret. Hujusmodi enim in epistolis paucissima plerumque scribebat aetatem suam nimis redolentia, plurima autem his venustate atque urbanitate laudanda, quibus ingeniosi viri quovis tempore enitere solent, ex quo fit ut et nobis adhuc imitanda epistolarum exempla tradiderit.

Quis enim se jucundius excusaret cur non visitaverit amicum, quam Aeneas, qui Leonardo Pata-

(1) Ep. 105.

viensi episcopo haec mitteret : « Quod me tuo conspectui non saepius offero quodque tuas aedes non visito, nec superbiae nec negligentiae mihi debes adscribere : quarum alteram abominor, alteram semper perfugi. Rursus quoque nec occupationibus impedior meis, cui multum est otii. Quid igitur est quod me retrahit? dicam, si scire vis. Nimium magni domini locum tenes, non convenit mihi cum tanta dignitate ; veniunt principes, comites, barones, milites ; illis patet janua tua ; nil mea toga inter tot aureas vestes momenti habet. Pudet me illis admissis ante ostium stare et exspectare, et fateor justum esse illos praeferri. Quid ergo superest? nihilne tecum communicabo? non sic agam, sed quod voce dicturus eram, scriptis exprimam. Audio abfuturam esse, idque breviter, Paternitatem tuam reverendam. Unum duntaxat ex illa expeto, ut si quid sit in absentia tua ejus quod mea cura possit absolvi, nec mihi nec meis laboribus ignoscas, sed ut mancipio tuo me utaris. Hoc dicturus eram cum hodie ad te venirem cumque intrantibus aliis retrocederem. Sed non minus est scriptum quam dictum ; cum illud fugiat, hoc maneat ; illud negari, hoc perpetuo possit probari. Suscipe igitur chirographum hoc quasi meae erga te fidei vadem, et sicuti scribo, ita de mea mente meoque animo confide, quia et sum et esse volo perpetuo tuus. Vale » (1).

Ne autem plura conferre exempla videar, epis-

(1) Ep. 9,

tolas has amantissime scriptas praetermitto, quibus amicorum vel adventum urget vel lamentatur absentiam vel benevolentiam magnificat (1), quibus aut excusat ironice non scribentem (2) aut, provocatus ab amico inertiaeque condemnatus, facete causam suam defendit (3). Hoc solum notandum sit, parem comitatem atque humanitatem omnibus Aeneae epistolis inesse; neque enim, in medio ardore scismatis, cum utrinque censurae, excommunicationes et convicia flagrarent, se minus urbanum vel facilem praestabat, si Felicis antipapae ministrum alloquebatur, quam curiae romanae procuratori cum scribebat; immo, et quadam naturali inclinatione et meditata calliditate, se semper cuique opinione ac spe consentientem ostendere solebat (4), stilum vero, prout huic aut illi scribebat, diligenter atque ingeniose mutare; quod ut demonstrem, has solas duas epistolas memorabo, quarum in prima, cancellario Gaspari Schlick missa, rebus publicis unice intentum Aeneas se magnopere praebet, de dietis germanicis accurate disserit, quid sit mentis regi Romanorum ecclesiastica circa negotia studiose exquirit, in aula quid sit novi uti absolutus curialis enarrat (5); illarum autem epistolarum in altera, alteram suae naturae partem Petro Noxetano,

(1) Ep. 32, 33, 34.
(2) Ep. 36.
(3) Ep. 77.
(4) E. g. ep. 56, 66.
(5) Ep. 42.

familiari carissimo, aperit, nam et quantum amicum amet jucunde dicit, quantaque bona ipsi precetur, qualis et quando uxor ducenda sit solute exponit, Terentii verba refert amoenamque Italiam se desiderare fatetur (1).

(1) Ep. 45.

CAPUT TERTIUM

Quod scribendi genus Aeneae fuerit.

Hactenus ostendimus quid momenti habuisset Aeneae et vitae et ingenii genus ad epistolas conficiendas; quas reperimus et historiam scribenti utilissimas ut hominis in rebus publicis agendis omnino versati, et communis humanitatis optimum documentum, nam aequalium ejus, quos penitus noscebat, et ipsius quoque, viri amplissimi a quo nihil alienum exstitit, vera effigies ibidem invenitur. Illis enim virtutibus claruit prae ceteris humanistis qui, ut diximus, uno in statu tota aetate exacta atque eo ipso intra certos fines restricta cogitatione, epistolas suas tanta varietate vel tanta rerum frequentia ornare nequiverunt. Si vero Aeneas profecit, procul a scholis magistrorumque temporis illius tristibus jurgiis, civilem vitam agendo, falsam tamen et viri et

epistolarum ejus imaginem redderemus, nisi diceremus litterarum etiam ipsum amatorem fuisse, nihilo minus quam philologi rhetoresque tunc in cathedris italicis sedentes.

« Quid enim homo est absque doctrina, quantumvis dives, quantumvis potens? Quid inter hominem illitteratum et marmoream statuam interest? non dux, non rex, non imperator alicujus pretii est litterarum ignarus; videmus nostri saeculi principes, quoniam rudes sunt et nedum latinum sed maternum quodammodo ignorantes sermonem, quanto despectui sunt, quomodo negliguntur, quomodo vituperantur; quod si quis eorum oboedientiam in subditis habet, non amor sed metus id facit, qui, ut Cicero ait, non est diuturnus magister officii; at ubi metus abest, mox deseruntur, interdum etiam neci dantur. Quid ergo tu miser studia despicis litterarum, qui pauper es, qui nisi per magnam virtutem evadere in virum clarum non potes? (1) » His verbis quibus nepotem suum Aeneas monebat, se studiosissimum satis probabat litterarum « quae solae, aiebat alias, homines extollunt super alios » (2). Ejus vero in ore illa opinio majoris est momenti quam declamationes, in unum quidem congruentes, quorumdam aliorum humanistarum, quas minus gratuitas putare possumus ut hominum solo calamo viventium. Viro enim nostro necessaria pariebantur et munere quod obibat in imperiali cancellaria, et beneficiis ecclesiasticis,

(1) Ep. 4.
(2) Ep. 15.

neque unquam a Musis victum petiisse videtur. Cum ergo studia atque eruditionem laudabat, hanc spectabat utilitatem quam bonis artibus parant animus ac mens, ex quo fiebat ut proceribus quoque litterarum tractationem necessariam esse crebro asseveraret; quod jam legimus in epistola nuper memorata tactum; atque eodem argumento Aeneas duci Austriae Sigismundo adolescenti scribebat eumque invitabat ut ante omnia genitori gratias ageret quod filio praeceptores tradidisset eruditos ipsiusque animum excolere curavisset : « haec enim amplissima est supellex, et hereditas principatu melior »; incepta exsequatur Sigismundus; « non enim, ut aliqui arbitrantur, idcirco principes discunt litteras ut latinum scientes participare cum alienigenis queant, nam etsi hoc frugi est, alia nobilior ratio est, quoniam enim omnis bene vivendi norma litterarum studio continetur, ideo illas expedit nosse »; de adolescente ceterum ipso bonam spem Aeneas concipiebat, cujus, ut ipse dicebat, viderat modestum incessum latinumque incorruptum notaverat (1). Quanti ergo vir noster faciebat virtutes, tanti et linguae latinae scientiam, qua etiam eruditus, ut homo anglicus, cum Adam de Molin scripsisset ipsi, laetus respondebat Aeneas « se miratum esse romanam facundiam in Britanniam usque profectam », hominemque magnopere laudabat atque acriter hortabatur ut sermonis elegantiam augere animose pergeret (2).

(1) Ep. 105.
(2) Ep. 64.

Ea vero mente, orationem suam ut emendaret, auctores antiquos ipse assidue pervolutabat, tametsi negotiis distentus erat atque illo tempore libri rarissimi permagnis pretiis emebantur. Quanta enim doctis impedimenta superanda tunc essent, hac epistola percipimus, ab Aenea Francisco de Fuste, theologo apud Concilium constituto, missa : « Anthonium Luscum (1) super orationes Ciceronis quantum desideraverim Basileae dum essemus, intellexisti, quem etiam manu mea transcribere statueram, si otium fuisset; sed obstitit repentinus meus recessus; postea curavi ut per alium mihi rescriberetur; id quoque negatum est, quia librarius nusquam apud vos peritus inventus est, qui hoc opus recte absolvere posset; nuper vero scripsit ad me Peregallus, velle te meae aviditati satisfacere librumque mihi dono mittere; quam oblationem, si coram te essem, non auderem suscipere : grave est enim homini prudenti ab his donari, de quibus nihil se meritum putet; verum quia epistola, ut Cicero dicit, non erubescit, absens acceptabo quod renuissem praesens, nec verebor a te per litteras recipere quod maxime cupio et aliter habere non possum » (2). Aliquando tamen libros emebat Aeneas, inter quos Politicum Aristotelis (3).

Auctores cum adeo libenter pertractaret, haud

(1) Antonio Loschi; cf. Monnier, *Le Quattrocento*, Paris, 1901, I, 216.

(2) Ep. 177.

(3) Ep. 49.

mirum est illum nonnullas composuisse epistolas quae grammaticum quodammodo redoleant, quamvis vitam ageret a scholasticis rebus omnino alienam; Joanni enim Freund paulo studiosius scribebat « adverbia esse quae nos beant, non verba, nomina vel participia; non quid homo faciat sed quomodo faciat quaerendum » (1); aut Joanni Campisio, qui demiratus erat apud Aeneam *turpem* pro *deformi* legisse, epistolam ad id ipsum mittebat ut se Virgilii, Ciceronis atque Ovidii exemplo purgaret, necnon quidem amare, ut mos est auctoribus (2).

In legendo vero vel scribendo si tantum delectabatur, hoc etiam fiebat eo quod omnis doctrinae curiosus erat, solam forte praeter unam, juris scilicet prudentiam, ad quam adolescentulus se invitus applicaverat nec jam posterius unquam leges tractavisse videtur; immo Marianum Sozinum, eximium Senensem jurisperitum, cavillabatur his verbis : « Commentarios tuos super Decretalibus, etsi facundos arbitror miramque scientiam prae se ferentes, videre tamen non cupio, quia terruit me laborum numerus cum eos in quatuor et viginti volumina distinctos scripseris; mos est legistarum ut longi sint, hinc Ovidius verbosas dicit leges » (3). Quid autem in litteris potissime amaret, ipse scribebat comiti Galeatio de Archo : « Scis quid appellem studia humanitatis? Hoc enim nomine volunt nostri orato-

(1) Ep. 92.
(2) Ep. 38.
(3) Ep. 39.

rias et poeticas litteras designari » (1). Orationes quidem jam habuerat in Concilio basiliensi, nec sane frigidas at diligenter elaboratas et cum numero tum ordine laudandas; postea legatus a Caesare ad curiam romanam, de rebus ecclesiasticis verba saepe fecit atque etiam maximus pontifex factus conciones habuit optimas, quas posteris tradere sedulo ipse curavit, namque, ut homo aetatis suae, nihil omnino praeponebat eloquentiae.

Hoc autem tempore vitae suae, quo scripsit epistolas nunc a nobis inspectas, carmina nonnulla contexuit; auspice enim Musa imperialem in aulam primo ingressus erat, quando a Friderico Caesare coronam poeticam acceperat et nepos ejus in bibliotheca ecclesiae Senensis a celeberrimo pictore Pinturrichio imperatorem imponentem Aeneae lauream multo post effingi jussit, quasi inter patrui facta illustrissima. Illam vero dignitatem ipse tanti fecit, ut nomine poetae nunquam abstinuerit donec episcopatum assecutus fuerit; epistolaribus enim in salutationibus haec verba « Aeneas Sylvius Poeta » constanter leguntur; quod ipse archiepiscopo Mediolanensi ita explicabat : « Si vides me poetam subscriptum, non mirare, quoniam me talem Caesar esse voluit et si archipresbiter Papiensis et Isidorus de Rosate totaque illa nebulonum turba jurisconsulti nomen sibi arrogant auroque cinguntur, cur ergo poetae titulum verebor assumere ? Libet et mihi inter alios insanire, quanquam et haec dignitas

(1) Ep. 27.

majoris ad studium vigilantiae causa erit » (1). Basileae quidem plerumque vacuus poemata componere plurima potuerat; secretarii autem munus ubi adeptus est, ars carminum ei fuit difficilior, ut qui calamum aegre sero solutus resumeret, quem tota die in cancellaria tenuisset, ac diceret, de collega quodam suo sibi non rescribente « se dare veniam homini si scripturam jam odisset in qua vitam consumpsisset » (2). Attamen in epistola quam Hieronimo concivi suo mittebat, legimus Aeneam Musis fidem servavisse : « Quod hortaris, aiebat, studio litterarum ut sedulius incumbam, facio quoad possum, dum otium permittit, sed distrahunt me tum occupationes multae, tum curae diversae; quod superest, totum litteris dedo, ne poetae titulum inaniter videar suscepisse » (3).

Aliqua enim opera edebat, quae libenter ab amicis legebantur, ut constat his verbis, quibus Joannem Tuskon, secretarium civitatis Pragensis, alloquebatur : « Ais te cupere si quid novi ediderim tibi ut communicem; gererem tuo desiderio morem si tam libenter rescriberem quam scribo; mihi tamen id vitium est, ut plus quam semel nihil scribam ; plura post tuum abitum compilavi; Sigismundo duci patruelique Regis nostri non parvam epistolam destinavi, plurima illic bene vivendi

(1) Ep. 29.
(2) Ep. 90.
(3) Ep. 20.

praecepta tradendo (1); de passione Domini hymnum confeci regique dono dedi; litteras nunc ad istum, nunc ad illum misi; copias omnium Vuenceslaus noster habet, is te potest participem facere; sibi plumeus, mihi plumbeus est calamus; manus illi velox, mihi tardior; quod ex me cupis, ex illo pete » (2).

Hujusmodi quidem voluptatibus laboribusque Aeneas erat similis humanistarum, quorum ab uno, nec minimo, Poggio scilicet florentino, cum cardinalis factus esset, ita compellabatur : « Accedit ad consolationem meam et summam jucunditatem, quod vir eloquentissimus optimisque artibus eruditus, fructum eloquentiae et doctrinae sit, quod perraro accidit, consecutus; in quo gloriari quodammodo mihi merito videor, posse nostri quondam ordinis virum, hoc est eloquentiae studiis et dicendi exercitio praestantem, eo in statu esse collocatum, ut suae doctrinae aemulos extollere et eis praesidio atque ornamento esse possit » (3).

Litteris cum ita deditus esset, quin epistolas politius limaverit, minime dubitandum est, si hoc etiam intueberis, eo tempore pro viribus quemque scripta sua castigavisse : tabellarium enim invenire difficillimum erat atque onerosum ac nonnunquam omnino impossibile, ex quo fiebat ut epistolae maximi pretii existimarentur atque haberentur

(1) Ep. 105.
(2) Ep. 70.
(3) Ep. 216.

pro operibus haud levibus quae longe ante quam mitterentur condere et corrigere quisque solebat, quo major legenti voluptas famaque scribenti : « Inaniter scribere, aiebat Aeneas, hominis est abutentis otio et litteris » (1). Ipsi quidem, ut res tum erant, opportunitates non deficiebant in imperiali cancellaria ut reperiret nuntios, quapropter epistolarum librum nobis tradere potuit; quibus tamen modis cum familiaribus commercium epistolare haberet Aeneas, ab ipso petere nullius momenti forte non erit.

« Attulit mihi tandem litteras tuas Guido tabellarius, sed illas prius secum Coloniam detulit totamque Belgicam regionem illis ostendit; itaque si viarum longitudinem penses, miraberis tam cito mihi restitutas fuisse ; si pericula itineris cogites, monstri simile est eas me potuisse convenire. In altero igitur Guidonis diligentia, in altero celeritas commendanda est, in utroque fides; sed credo eloquentiam quoque hominis adjumento fuisse, qui mollire latronum feroces animos potuerit; multum quoque suae vestes juverint, inopiam prae se ferentes ; cantat enim vacuus coram latrone viator. Utcumque sit, gratias illi habeo qui tua mihi scripta reddidit quique omnia quae in Italia gerebantur retulit; idem faciet ad te reversus; quidquid Rhenenses agant, quidquid Bavari, quidquid Australes, Bohemi, Saxones, Poloni, ex eo scies, immo et Prutenorum et Lituanorum actus tibi exponet » (2).

(1) Ep. 55.
(2) Ep. 82.

Jocosis illis verbis quibus Joannem Campisium compellabat, nos docet Aeneas quanta morarum patientia opus tunc esset scribentibus et quam saepe fieret ut istis tabellariis libelli commissi exciderent in via, de quo distinctius alteri scribebat : « Quia litterae semper suum non habent cursum, postquam semel mihi scripseritis, non pigeat iterum atque iterum rescribere, ut praestet diligentiae sedulitas quod viarum insecuritas avertit; si enim una tandem ex vestris epistolis ad me perveniet, exinde possum quod volo perdiscere » (1).

Quemvis autem nuntium reperisse, magnum erat, namque interdum accidebat ut nemini occurreret Aeneas cui scripta mandaret : Lupo de Portugali, a quo epistolam susceperat, anno sequente respondebat, quia ante per quem scriberet nullus tabellarius adfuerat (2); quod idem nonnunquam accidebat in epistolarum commercio inter Aeneam et summos viros juxta sitos, uti constat his verbis missis cardinali Sancti Sixti, qui Basileae eo tempore domicilium habebat : « Pauci dies sunt quibus litterae tuae mihi fuerunt redditae, quae annum in via consumpserunt vel minus paulo; illis ergo nihil respondebo quia nihil est jam in eo statu quo tunc fuit » (3). Familiares ergo suos, plerosque infimos homines longinquisque constitutos in locis, epistolis attingere, quantum difficile dubiumque Aeneae foret, judicare

(1) Ep. 99.
(2) Ep. 10.
(3) Ep. 68.

possumus cum legimus, in epistola ab illo Joanni Campisio missa, ipsum ubi amicus esset casu percepisse : « Ex litteris, aiebat enim, pluribus reverendissimi domini cardinalis Sancti Angeli ad regiam majestatem directis, percepi te fore apud ipsam reverendissimam Paternitatem, nam et tua manu scriptae erant et tuam dicendi suavitatem redolebant » (1). In aleam autem casui epistolam aliquando mandabat, sicut Hieronimo Senensi, quem cum iter suscepisse sensisset, forte domum rediisse putabat (2).

Tantis difficultatibus cum esset obstructum epistolare commercium, quidquid scribebat Aeneas perpolire solebat, ne tantis curis atque expensis minus digna scripta ipsius viderentur. Nostri quidem in epistolis quamdam negligentiam decere dicunt atque eo ipso ornatiorem esse orationem hujusmodi, quo magis omissa ornamenta fuerint; an autem illi hoc praeceptum servaverint, qui, et etiam novissimi, epistolis maximam laudem assecuti sint, dubito. Aeneam vero epistolas suas limavisse patet, nec tamen ipsi esse molestam concinnitatem nec minorem aut leporem aut gravitatem. Quid enim serii vel jucundi apud eum sit, jam satis exposuimus; quanta autem cura ac diligentia scripserit, eo invito ex facili perspicimus.

« Quod mea scripta probas extollisque, facis amice; ego qui omnia dico et scribo quae vel in ani-

(1) Ep. 32.
(2) Ep. 20.

mum vel in buccam veniunt, non arrogo mihi tantum et quippe si alteri scriberem, non essem adeo verbosus; tibi cum scribo nihil vereor, quia tu lima es et quod erratum est, aut emendas aut tegis; amicis omnia nuda sunt » (1). Talia tametsi Joanni Campisio scripserat atque alias « amicitiam non eloquentiam sed rem expetere » (2), Aeneas tamen familiares quoque epistolas perpolire solebat et se ipsum tacite proponebat ad imitandum adolescentulo quem his verbis benevole monebat : « Oblectant me semper litterae tuae, quas et familiariter et ornate scribis; hae vero novissimae cum ornatu facetias quoque attulerunt atque idcirco magis placuere » (3).

Eo enim magis tunc erat operae pretium epistolas accuratius componere, quo a pluribus quaeque legebatur epistola, nam nemo erat qui, quod a tabellario forte suscepisset, multis non ostenderet, si quid nominis vel dignitatis esset in scribente; nonnunquam quidem exempla dimittebantur plura, quia rumores vel opiniones alio modo dispergi eo tempore non poterant, ex quo fiebat ut nostrorum diariorum partes fere obtinerent epistolae; quas ergo conficiendo si quis in aliquam notitiam perveniebat, maximam laudem atque auctoritatem cito assequebatur. Humanistae quidem nonnulli, quibus quaestui calamus erat, venalibus epistolis gloriam atque infamiam ad libidinem suam distribuere videbantur.

(1) Ep. 51.
(2) Ep. 70.
(3) Ep. 16.

Hujusmodi autem scripta apud Aeneam non repe-riuntur, nisi crimini ipsi dares epistolam unam ea mente confecisse, ut Michaelis de Pfullendord, olim sui familiaris, injuriam in se divulgaret atque amicitiae dissolutae causam; Michael sane ipse compellatur, sed epistolam in publico proponendam fuisse, res probat (1). Sunt quoque epistolae in quibus illud idem sit confirmatius; quidquid enim scripserat in vulgus emitti volebat Aeneas atque ideo epistolarum missarum jam ante librum colligere coeperat quam ad summa pervenisset; satis sit haec verba referre, quae Joanni Freund mittebat: « Non habeo quid tibi scribam, at cupio scribere ut inter meas epistolas tuum quoque nomen inveniatur » (2).

Epistolas vero plerumque pervulgabat ut Caesaris domini sui de re publica consilia defenderet, qua ratione Joanni de Carvajal indicia exhibebat sacro collegio deferenda (3) et de rebus Ungaricis episcopo Pataviensi atque archiepiscopo Strigoniensi epistolas mittebat adeo longas ac plenas, ut verius historiae dicerentur vel politici libelli, quarum et forma proprie oratoria est, nam neque exordium deest, nec divisio, nec peroratio, neque etiam compellationes incitationesque (4). Quae de iisdem Joanni Campisio scripsit, prima verba memoranda sunt, ut perspiciamus quid Aeneas ipse de hujusmodi epistolis sense-

(1) Ep. 97.
(2) Ep. 63.
(3) Ep. 94.
(4) Ep. 81, 78.

rit: « Urgent me res Ungariae tibi ut saepius scribam, nam et tu illas nosse desideras, qui Ladislao regi bene cupis, et ego libenter illa conscribo, quae scio esse ut sciantur utilia; in meis autem scriptis plurimum interest cum vel affirmo aliquid factum, vel refero quod audivi; in altero namque veri periculum ad me recipio, in altero fidem requiri apud auctores volo; hoc autem ideo dixi, quia rumorem hic fuisse tibi significavi regem Bosniae per quosdam vocatum esse ut Ungariae potiretur regno; quae res minime secuta est nec famam veritas adaequavit; sed nunc, quo pacto inter Ungaros conventum sit, ex me audi, nam certum est quod nunc scribo; tu haec reverendissimo nostro cardinali Tarentino communicata facito, ut per eum non solum sacri collegii aures, sed ipsius quoque sanctissimi summique sacerdotis adire praenoscentia queat, nam et sacerrimi illius senatus interest quid in regno geratur Ungariae pernoscere, cum murus sit illa regio Christianae religionis et nostrae fidei solidus paries » (1). Epistolarum vero jam ante missarum exempla retinebat atque aliquando hanc aut illam, ne in iisdem repetendis tempus consumeret, alterius nomine inscripto, mittebat iterum ut encyclia; cui autem eo modo non nova scribebat, rem ipse indicabat et eum in prooemio per occasionem ita monebat: « Affert dominus Jacobus epistolam quamdam ex meis, quas his diebus edidi; eam rogo ut videatis judicetisque, quoniam cum timore de rebus fidei scribo; librarius qui trans-

(1) Ep. 93.

cripsit non erat valde peritus, itaque plura in ea possunt vitia esse, quam ego posuerim » (1).

Cum ergo quidquid componeret edere ac posteris tradere cogitaret, sermonem expurgare solebat, pari diligentia adhibita, sive duci Austriae, sive compotori cuilibet scriberet; nec solummodo familiaribus etiam in epistolis nitet oratio sine ulla intermissione, sed ab argumento nonnunquam digrediebatur locumque ornatiorem interponebat, ubi quid scribendo posset liberius ostentaret; cum enim narrabat quid novi esset in aula curialesque, mortiferae luis fugiendae causa, oppidulum quoddam petiisse, occasionem capiebat ut vitam agrestem et commoda ruris longe commendaret, his verbis quae forsan legere juvabit: « Habes nunc et ubi locorum degam et quid rerum agam; nunc illud te volo scire, beatum mihi videri qui vitam ab negotiis procul publicis sibi delegit, sicut prisca gens mortalium consuevit; quis enim non felicem illum dicat, qui, nullo fenore aut aere alieno obligatus, paterna rura suis bobus exercet? Audi quam beatus sit. Nempe non truci excitatur classico, quo bellum petere ac pugnam jubeatur inire; non horret iratum mare, forum vitat et litigantium jurgia; non visitat superbia divitum atria, non fastidiosis curialibus est supplex; sed aut altas populos adultis vitim propaginibus maritat, aut in secreta reductaque valle errantes boves et armenta pascentia prospectat; interdum ramos inutiles falce resecat ac feliciores inserit; interdum mella quae pressit puris

(1) Ep. 31.

recondit amphoris, aut oves tondet lanasque recipit: at cum autumnus decorum caput mitibus pomis per agros extulit, magno afficitur gaudio, pira ex arboribus decerpens quae sua manu inseruit; interdum et purpureas uvas colligit et aut suspendit in usum hyemis, aut mustum exprimit; libet illi jacere modo sub antiqua ilice, modo in tenace gramine; labuntur aquae ex altis rupibus; queruntur aves in sylvis; obstrepunt fontes manantibus lymphis, somnosque leves invitant... » (1).

Supervacaneae quidem illi descriptioni nonnulla subjunguntur magis epistolae, ut nos arbitramur, consonantia; cum autem patruo suo scribebat eo uno argumento, rusticationem ut Horatii Senecaeque, Ciceronis, Diocletiani, necnon Cyri Persarum regis exemplis aut verbis celebraret, nihil praeter formam, ut ita dicam, epistolarem Aeneas observabat (2). Nec rarae sunt apud eum hujusmodi lucubrationes quas, ut ederentur, usitata salutatione praeposita, cuilibet amico mittebat epistolarumque suarum in libro transcribebat, tametsi potius declamationes nobis esse videntur. Ne ullam quidem causam praetexit neque aliqua praefatione utitur, cum cancellario Gaspari Schlick, cui tamen majora mandare solebat, scribit hominum studia esse diversa, nam alios juvat in stadio currere et olympicum colligere pulverem, aliosque castra et tubae sonitus, nam alii diem totam bibendo consumunt ipsumque Aeneam gelidum

(1) Ep. 91.
(2) Ep. 5.

nemus oblectat ubi Musas adeat (1). Eodem modo, epistolae sub specie, longissime narrabat somnium quod de fortuna vidisse fingebat, ea occasione usus ut solutius exponeret quidquid de veteribus recentioribusque sentiret (2) ; ne plura dicam, ut vero hujusmodi epistolarum exemplar proferam, hanc memorabo disputationem, de poesi jurisprudentiae praeponenda, quam Vuilhelmo de Lapide misit, qua de re, tametsi jam tractata fuerat a plurimis inter quos Tacitus in dialogo suo de Oratoribus, haec minus trita homini forensi respondere simulabat : « Antiquitas provida tanti poeticam fecit, ut tam poetas post editum opus quam imperatores post victoriam triumphare et curro magnifico duci per urbes voluit communemque illis dignitatis insigne praebuit lauream, quoniam sicut ab hostibus imperatores liberant cives, sic vitia fulminantes et virtutes excellentes poetae civitates custodiunt et amplificant. At tu major Alexandro magno, Lisandro victoriosior melior Scipione, prudentior Julio, Augusto fortunatior et omni antiquitate sapientior, inutilem poeticam dicis, quia nihil panis affert, nil auri, nil divitiarum. Esto quod ais ; non tamen idcirco legibus tuis poetica cedet, namque dum tu aurum petis avare, faecis amator, mundi cultor, poeta honorem famamque quaeritat et cantans Superum laudes virtutisque excitans amorem, iter sibi faciet in coelum ; tu, cum auro et divitiis quas sequeris quasque solas dare

(1) Ep. 102.
(2) Ep. 108.

beatitudinem putas, in terra manebis et animam simul et vitam perdes. Non est, mihi crede, noscere leges quam poeticam majus ; scio quia non credis, sed stulti credulitas nec dat verum nec aufert; Cicero, qui fuit linguae latinae princeps, semper poetas fuisse raros testatur, quoniam haec facultas donum Dei est, quod non omnibus datur ; artes ceterae studio, diligentia, praeceptionibus possunt apprehendi ; hanc nemo assequitur, nisi divino munere praeditus » (1).

Quin etiam, epistolarum ejus in libro, duo scripta reperiuntur quae nominis inscriptione ac salutationibis et finali et initiali carent ; quapropter et materia et forma cum nostris epistolis differunt ; nec tamen nobis praetermittendae videntur, cum inter epistolas numerata sint ab Aenea ipso atque ab iis qui opera ejus primo ediderint : ex quo quidem perspicuum est Aeneam epistolas habuisse tanquam curricula mentis in quibus, aliquibus regulis observatis, brevitate scilicet et quadam orationis tenuitate, quibuscumque de rebus disserere liceret, nec necessarium putavisse, quod scripsisset, homini certo semper mittere. Istiusmodi epistolarum in altera urbem Viennensem, uti diximus, more recentiorum describit (2). Alterius contra materia medii aevi consuetudinibus penitus consonat ; quantum enim aetatem illam in scholis et etiam in aulis quaestiunculas movere juverit, nec nunquam minutas, neminem latet ; eo e more, coram

(1) Ep. 111.
(2) Ep. 165.

Caesare multisque baronibus, disputator quidam Aeneae tria obtulit problemata et, quae responderat, vir noster posterius ea litteris mandavit ; istarum vero quaestionum prima secundaque apud nos nuper iterum institutae sunt atque ideo, qua ratione expeditae tunc fuerint, memorabo : ad primam interrogationem : « Utrum prudentia sit idem habitus cum scientia morali tradita in libro Ethicorum, Politicorum et Oeconomicorum et in libris canonum et legum », respondet Aeneas negando : « Scientia enim, ait, solum intellegit quod est bonum, prudentia vero postquam novit, etiam operatur ». Alterum autem problema ut explicet, « cur poetae nostris temporibut sint adeo pauci, cum videantur multum utiles et necessarii », plurimàs causas affert, quarum haec ei praecipua videtur : « Quia non redditur poesi suus honor, ideo pauci sunt poetae » (1). Illis quidem de rebus cum disserebat, summa voluptate Aeneas aperte perfruebatur et gravate scribere ante desistebat quam plenius ostentavisset quantum graecos latinosque scriptores ac Patres pernosceret.

Neque illa commentatio ex epistolis ejus est longissima, quarum aliqua ceteras amplitudine superat ac libellus ipsa sola dici potest. « De Eurialo et Lucretia se amantibus » confecta fuit ab Aenea quasi repugnante; rogatus enim erat a Mariano Sozino, concive suo, ut scriptum amatorium ederet ipsi. Vera quidem haec epistola est nec bene in editione basiliensi disjuncta (2) ab exordio quo scriptor monet amicum se

(1) Ep. 104.
(2) Ep. 113, 114.

ipsi morem gessisse ; namque in fine Marianus iterum compellatur neque etiam Aeneas omisit diem locumque adscribere in extrema parte ; nemo autem unquam tantam epistolam composuit. In principio, uti diximus, operis universitatem amico porrigit, tametsi, inquit, et se paene quadragenarium scribere et Marianum quinquagenarium de amore minime convenit audire; deinde rem aggreditur adolescentemque quemdam, genere nobilem nationeque germanum, cui nomen Eurialum imponit, cum Caesare Sigismundo Senas adivisse fingit in eaque civitate amore captum fuisse puellae senensis, quam Lucretiam vocat; quibus dictis, calamum tradit amantibus ac novem epistolae ab altero alteri missae ex ordine leguntur, brevissimis enarrationibus interpositis, ut fabula intellegatur. Dupliciter ergo Aeneas tanquam epistolarum scriptor habendus est, qui et suo proprio et alieno etiam in cancellaria imperiali fictoque denique in hac fabella nomine epistolas confecerit. Quae autem fuerit in hoc genere dicendi facultas ejus, ex his perspici potest, quae Eurialo, cum Caesare quanquam aegre clam recessuro, supremum Lucretia mandabat : « Si posset animus meus irasci tibi, jam succenserem, quod abiturum te dissimulasti, sed amat te quam me magis spiritus meus nullaque potest ex causa adversus te moveri. Heu ! meum cor, quid est quod mihi Caesarem non dixisti recessurum ? ille itineri se parat nec tu hic manebis, scio. Quid, obsecro, de me fiet? Quid agam misera? Ubi quiescam ? Si me relinquis, non vivo biduum. Perago has litteras meis lacrimis madidas;

per tuam dexteram et datam fidem, si de te quicquam merui, aut fuit tibi quicquam dulce meum, miserere infelicis amantis. Non peto quod maneas, sed tolle me tecum : fingam me vesperi Bethleem petere velle unicamque recipiam anum. Adsint illic duo tresve famuli ex tuis meque recipiant : nihil negotii est volentem eripere ; nec tibi dedecori puta, nam et filius Priami conjugem sibi raptam paravit. Non injuriaberis viro meo ; is enim omnino me perditurus est, nam nisi me abducas, mors illi me auferet. Sed noli tu esse crudelis meque morituram relinquere, quae te pluris semper quam me feci ». Euriali quidem cum nomine loquitur, multo procacior Æneas est atque ita impudicus, ut posterius se talia scripsisse paenitere fateretur (1). Illius autem operis maxima fama fuit, cum sermonis elegantia commenticias fabulas eo tempore laudatas multo antecederet ; eadem vero in eloquendo jucunditas, uti jam diximus, singulis in epistolis reperitur apud Aeneam, cujus qualis fuerit forma scribendi, nobis nunc est quaerendum.

« Reversus nunc ad Caesarem insignis miles Procopius de Rabenstein tui meique amantissimus retulit, quod mihi summae voluptati fuit, me tibi dilectum esse measque litteras, quas saepe ad amicos scribo, tuo judicio admodum commendari ; utrumque apud me mirum est. Quid enim in me est quod a te viro

(1) Ep. 395 ; cf. J. Devay, *Enea Silvio Entlehnungen in der Novelle Euryalus und Lucretia und ihre ungarischen Bearbeitungen*, *Zeitschrift für vergleich. Litteraturgeschichte*, Berlin, 1896, p. 491.

laudatissimo diligi debeat? Quid rursum epistolae meae in se habent, quod laude dignum videantur? Nihil ego unquam erga te boni operatus sum; mores mei communes sunt, vivo ut vulgus hominum facit, nulla singularitas in me est, nulla praestantia, nulla virtus quae non aliis communis sit. Epistolae meae planae sunt, apertum stilum habent, currenti calamo pictae sunt; nihil his commissum est, quod in sermone vulgari non cadat; non est in illis ornatus, non lepos, non gravitas; nudae sunt et solum animi indices; cur ergo vel me colas vel illas magnifacias, non scio, nisi quod homines sunt quidam tanta bonitate praediti, ut omnia commendent; econtra quoque malitia tanta quorumdam est, ut omnia quae vident quaeque audiant, vituperent; tu inter primos numerari vis et sapis certe, qui laudando potius quam vituperando vis excedere. Verum tua laus, quam mihi adscribis, etsi meritum excedit meum, mihi tamen jucunda est. Quis enim non potius indignam laudem quam indignum vituperium ferat? At quia laus ea demum dulcis est, quae a laudato viro procedit, magno me munere donatum arbitror, dum tuis me verbis extolli audio » (1).

Talia cum scribebat Johanni Scindel, quem salutat singularem astronomum, de suis epistolis modestius profecto loquebatur quam existimaret. Non quidem quin maxima laus sermo facilis non sit in hoc scribendi genere et, quo simpliciore stilo usus fuerit, eo jucundior Aeneas; tanta tamen planitas nunquam

(1) Ep. 84.

ei fuit ut, quidquid ederet, maxima cura limare omitteret ; cur vero sic egerit, plenius causas jam retulimus ac nimia ex epistolis ejus excerpta proposuimus, ut sit opus nunc dicere quibus in scribendo potissime valuerit, nam cuique legenti patere potuit quantum varius fuerit copiosusque ac disertus. Unam quidem in Aenea laudem hoc loco indicare volo, orationem scilicet ejus clarissimam, eo magis commendandam quo rariorem apud recentiores auctores qui latine dicere tentaverunt : plerique enim, et tunc et abhinc, cum illa quasi naturali exercitatione solis veteribus propria carerent, hoc necessarium vitium tegere arbitrati sunt elaborata quadam concinnitate eoque facti sunt obscuri. Aeneas vero omnibus claritatem anteponit ac merito ipse dicebat « se scribere ut intellegeretur nec sibi solum scribere sed his qui legerent » (1). Cum sic existimaret, illos non imitatus est molestissimos sermonis exactores qui, ne vocabula Ciceroni non nota usurparent, novis notionibus enuntiandis verba vetera accommodare perperam conati, maximam in ambiguitatem ceciderunt ; ipsi vero in laude hoc ponere decet, quod, tametsi sermonis latini integritatis tenacissimus exsistebat, haec verba *papam, cardinalem, secretarium*, occasione data, efferre non dubitavit.

Latinae autem dictionis salubritatem majoris aestimabat ut, more nostro, si unum alloqueretur, numero uteretur plurali, neque unquam isti vulgari consuetudini obsecutus fuit, nisi tribus in epistolis quarum

(1) Ep. 54.

prima atque altera praestantissimis cardinalibus mittebantur (1). Immo, illam suam opinionem acerrime tenebat ac novam humanistarum italicorum fidem confiteri videbatur, cum Sigismundo duci Austriae his verbis exponebat cur aliter loqueretur quam fieri soleret : « Quae consuetudo late in Germania patet et apud Italos aliquandiu viguit ; at postquam Franciscus Petrarcha,omisso temporis sui squalore, priscam coepit eloquentiam imitari, plerisque sic loqui placuit ut castior aetas locuta est veterum ; venit ex Graecia post haec Johannes Chrysoloras, qui Constantiae sepultus est, vir plurimarum litterarum, cujus majores orti Romae Constantinum magnum post translationem imperii Bizantium, quae nunc Constantinopolis dicitur, secuti fuerant ; hic Italos jam scabrosi et obvoluti sermonis paenitentes, non tamen plus habentes luminis quam Franciscus attulerat, ad veram eloquentiam reduxit ; ita ut similis videatur hodie Italorum facundia illi quae Octaviani temporibus viguit, si quis Leonardum aretinum, Guarinum veronensem, Poggium florentinum, Aurispam siculum, Anthonium vicentinum et alios legeret, qui nunc viventes apud Italos florent, in quibus et Tullianae fluvius eloquentiae et lacteus Titi Livii patavini rivus elucet. Hi nunc eos, ad quos scribunt, singulari compellunt numero, quia tam Graecos quam Latinos sic locutos fuisse commemorant, sicut Socratis et Demosthenis ac Ciceronis et Maecenatis epistolae ad maximos viros scriptae tes-

(1) Ep. 2, 31, 43.

tantur; nec gentiles solum, sed eos, quos colimus, quos veneramur, sanctos viros imitari se dicunt, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Gregorium, qui non solum homines, sed ipsam divinam, quae omnia nutu suo regit, majestatem adorti sermonibus, praesta, inquiunt, da, fac, concede, miserere, largire; qui tamen multo ornatius pluralitate uti novissent quam nos, sed visum est illis recte loquendi ducibus ornatum omnem atque leporem confundi si, ut modo fit, locuti fuissent; his ego quoque consentio, nec, meo nomine scribens, aliter quempiam compello » (1).

Quantam ergo diligentiam adhiberet, ne malus auctor latinitatis videretur, nos docet Aeneas neque immerito numeratur inter scriptores illos politissimos qui tunc in Italia floruerunt, antiquis ipsis fere exaequandi; eo enim tempore, quod nemo nescit, studia humanitatis quadam renovatione refovebantur, veterumque in operibus cum quisque evigilaret, latinorum verborum elegantia enitebat, eo quidem magis, quod rarius notatum fuisse videtur, quo Aeneae atque aequalibus ejus propius erat illud medium aevum, ab eisdem aliquando derisum, quo tamen exeunte latinitas, quamvis mendosa facta atque inops, cum in Ecclesia atque in foro esset in usu, quodammodo spirare non omnino destiterat; illa enim disciplina edocti, postquam Ciceronem aliquando lectitaverant, humaniste leporem ac mollitudinem orationis reperire facillime potuerunt; econtra, obsolescentibus aevi medii

(1) Ep. 105; cf. ep. 18, 125.

moribus, pejores facti sunt auctores latinitatis nec discipuli jactatorum illorum humanistarum magistros aequaverunt et, quibus denique gradibus deminuta sit latini sermonis integritas a quinto decimo saeculo usque ad hanc diem, qua prope periisse creditur, cuique patet ; quod si spectaveris, aetatem illam, qua litteras renatas fuisse plerique dicunt, verius eis infaustam existimare licebit, etsi quantum ad alia secundam.

Utcumque se ea res habuit, Aeneas eo tempore scripsit quo nova latinitas maxime floruit atque ideo sermonem ejus explorare forte proderit, quod nobis eo facilius erit, quo distinctius ipse leges exposuerit, quas latine scribendo teneret. Libellum enim ad archiepiscopum Treverensem composuit (1), cui dedit titulum « Artis Rhetoricae praecepta », quem vero rectius inscribere deceret grammaticam oratoriam, nisi illius aetatis homines omnia studia humanitatis rhetoricae nomine amplexi fuissent, litterarum ea fere sola causa curiosi, quod eas ad perficiendum oratorem valere putarent. In prooemio Aeneas se monet scripturum de compositione verborum, sine qua, ut ait, sermonis elegantia sententiarumque ordinationes oratori nihil proficiant, ac prima in parte « de junctura seu positione » quinquaginta praecepta tradit, quorum ut perspiciatur habitus, hos transcribam capitum titulos : de *cum* et *tum* ; de distributivis et partitivis nominibus ornate utendis et superlativis et comparativis ;

(1) Aeneae... *Opera*, Basileae, p. 992-1034.

genitivus praeponendus est dictionibus quibus subordinatus est, similiter fiat de dativo ; pronomina quae et quando utenda sint ; de hoc verbo *sum* ; et alia generis ejusdem. Ipsius vero ut intellegatur docendi via atque in arte grammatica anxia diligentia, praecepti ordine quinti decimi commemorabo initium : « quanquam ab adjectivo apposito vel supposito, principium sumere orationis commodissimum sit, quia tamem aliquando accidit ut dictiones multifariae non minus in orationis principio optime jacere et pulchre resonare videntur, non incommodum visum est ab eis principium orationis constitui posse, quae profecto dictiones ex omni genere atque materia octo partium orationis commodissime sumi poterunt, ubi adjectivationes non tibi commode succedunt ; quod per plura videre exempla pulchrum judicabis. Exemplum de nomine proprio, in principio orationis posito : Brutus, quem in his litteris tibi commendo, cum mihi sit omnium amicissimus, tum etiam maximis est virtutibus ornatus. Exemplum de nomine appellativo : Homines enim illos, quos duplices esse cognovi, ut unum verbis dicant, aliud autem re sentiant, nisi ipsi aliqua probabili fortasse ratione ad hanc fictionem compellantur, apud me semper parum valere debere constitui. Exemplum de verbo activo : Amabo te semper atque summopere diligam, quoniam tu omnia pro me liberaliter effecisti. » Quantum quidem stricte praecepta sua scribendo tenuisset, tametsi tanquam oratoria ea tradiderat, hoc ipso perspici potest, quod epistolarum ejus initia quasi infinite diversa reperiuntur.

At de his satis, quia verborum in compositione, ut in re constituta, cum castus esset sermo ejus, aliquid novare minime licebat; nobis utilior erit eorumdem artis rhetoricae praeceptorum secunda pars in qua, ut ipse inquit, aliquas variationes et sententiarum synonyma demonstrat « quae vel ad conjungendas partes rhetoricae orationis et argumentationis plurimum valerent, vel ad eas satis exaggerandas et corroborandas admodum conducerent ac expedirent » (1). Illius quidem operis in utraque parte, grammaticos haud ignobiles imitatus est, Gasparinum Barzizium pergamensem ac Stephanum Fliscum (2) ; philologos autem cum sequeretur ac de arte rhetorica cum se scribere diceret, eo tamen in libro quaerere possumus, quid de stilo epistolari Aeneas ipse sentiret, nam omnes propedictiones, quas apud optimos auctores excerptas legenti proponit, in epistolis usurpari solent. In principio enim locutiones colligit, quibus in exordiis uti liceat, inter quas exempli gratia has mihi obvias referam : « Jucundissimae fuerunt mihi litterae tuae. Amantissimae tuae litterae amplum mihi gaudii cumulum attulerunt. Vix potui scribere summis occupationibus impeditus. Consideranti mihi quid tibi litteris significare deberem, illud occurrebat, ut ad studia bonarum artium te vehementer incitarem », et alia generis ejusdem reperies in reliquis libri partibus quibus tituli sunt : de narratione ; exclama-

(1) Aeneae.. *Opera*, p. 1016.
(2) Cf. Monnier, *Le Quattrocento*, I, p. 215-217.

tiones; de divisione; de confirmatione; de confutatione; de conclusione. Hujusmodi dictiones pro sensu plerumque ordinatae sunt saepeque plures inveniuntur re unumsonantes ac nonnunquam uni alicui verbo synonyma supponuntur, uti his in locis : « Litterae tuae mihi delatae sunt, tuae vitae institutionis consimiles, plenae prudentiae, consilii, providentiae, sapientiae. Tuam legi epistolam delirantem, ignominiosam, molestam, facinorosam » (1).

Propriae quidem utilitatis causa, uti legitur in nuncupatione, illud opus non edidit, archiepiscopo Treverensi dedicatum ; Aeneam autem ejusdem generis manualem libellum sibi composuisse, quo uteretur in scribendis epistolis, negare non licet. Mos enim erat antiquissimus, et veteribus et recentioribus e scriptoribus excerpta colligere atque hujusmodi in compilationibus quisque argumento suo propiora requirebat, quo citius ac facilius, verbis alienis contextis, latine scribere videretur. Ista pangendi ratione, nonnulli in aevo medio adducti fuerunt ut, quod sentirent, vel minuerent, vel mutarent, cum rerum copiae copia verborum impar esset. Longe aliter composuit Aeneas, nec sunt centones epistolae ejus. Si enim, ut inferri licet ex libro ejus de arte rhetorica, eclogarias conscripsit locutiones in epistolis usitatissimas, quas haberet in promptu semel compositas, nunquam illos communes locos interponendos collexit, quibus utebantur alii ut proprii ingenii defectum tegerent ; quidquid

(1) Aeneae... *Opera*, p. 1017.

vero cogitaret, suis ipse verbis exprimebat, quod tibi perspicuum erit, sive excerpta ejus jam relata evolvimus, inter quae nihil reperimus nisi vulgaria et quasi formalia illa dicta quae apud omnes epistolarum auctores genere semper constant, sive potius epistolarum ejus genus intuemur, quas quando scribebat, ut rebus novis ac diversissimis plenas, alienis verbis uti minime potuit.

Forsan enim Aeneae victus atque habitus, qui, uti diximus, epistolarum ejus quantum ad res tractatas pretium fecerunt, et stilum ipsius quodam modo informarunt : cum de rebus haud tritis scribere plerumque cogeretur, exempla imitari destitit eoque propriam dicendi formam sibi paravit ; cum aliqua dignitate frueretur, minore quidem ut gravitatem tenere curaret, majore autem ut in humilitatem se submitteret, expeditum solutumque stilum ubique habuit ; pro persona tamen ejus cui scriberet argumentoque epistolae, ipsi diversam fuisse orationem, jam alias ostendimus.

Nunc autem Aeneam varium fuisse nova ratione demonstremus, epistolarum scilicet partibus in componendis. Singulis quidem epistolis, ut mos erat, prooemium inscribit salutationem, his verbis constanter enuntiatam : Aeneas Sylvius poeta huic aut illi salutem plurimam dat ; soli duci Mediolanensi, novo usus sermone, in prooemio « humillime sese commendatum facit » (1). Neque ejus cui scribit

(1) Ep. 52, 53.

solum nomen in salutatione praeponit, sed etiam ipsius titulum simul indicit, tanquam in epistola missa « reverendissimo in Christo patri domino Juliano cardinali Sancti Angeli, Apostolicae Sedis legato » (1); quod faciendo, et urbanitatem observabat, et magnis nominibus epistolarum suarum librum illustrabat. Paribus autem si scribit, eorum titulo pauca in salutatione saepissime jungit, ut a principio familiaribus amicitiam suam comiter significet, eoque modo epistolarum in prooemiis salutem dat, verbi gratia, « viro optimo et fratri suo amantissimo Richardo de Valentia, scriptori apostolico; domino Hieronymo, concivi suo et amico percaro; Bertholdo lunenburgensi, viro liberali et semiprodigo, scribae imperialis cancellariae; Georgio Andrentio senensi, amico probo et constanti; Joanni Mayers, cancellario Austriae, benefactori suo honorando » (2).

Salutatione vero praemissa, exordiis utitur ita variis, ut nulla sit ex epistolis ejus alteri principio similis tantamque ad hanc rem adhibuit diligentiam, ut eas primis verbis, tanquam pontificales bullas, notare liceret (3). Modo, Ciceronis more, rem subito aggreditur, de qua scribit, eamque ab initio proponit; modo, et quidem multo saepius, pauca prae-

(1) Ep. 2.

(2) Ep. 19, 20, 23, 33, 40.

(3) Cf. *Pii Pontificis Maximi vita per Joannem Tritemium abbatem Spanheimensem descripta*, editionis Basiliensis in prooemio.

mittit, epistolae argumento minus congruentia, quibus, uti solemus, quasi praefatione utitur ut lectoris animum comparet ad reliquam dictionem; aut enim se dicit non necessitate sed amore cogi scribere, aut se nonnulla scitu digna relaturum, aut se epistolam ad scribendam pigrum fuisse confitetur, aut se alterius epistolam libenter excepisse (1), aut oritur ex alia re quacumque atque hac in parte, quamvis scrupulosa, tanta est orationis ejus simplicitas, adeo venustum. adeo varium se praebet, ut eo ceteris illius temporis epistolarum auctoribus excellere videatur.

Mediis quidem in epistolis, scriptioni forma atque ordo deesse videntur plurimaque reperies aliquanto confusiora ; de industria autem factum est, quo sermonibus familiaribus similior sit epistolaris oratio. Simplex ergo atque in promptu positus dicendi modus, nulla in scribendo aequalitas, nulla cogitata ratio ; argumentationi longiori faceta intervenit narratiuncula; quid novi sit cum refert, sententiis variat orationem ; Aeneam loquentem audire crederes, neque etiam quaesivit ut epistolas amplitudine pares conficeret, cum haec sit longissima atque illa exigue scripta.

Tametsi vero nullum ordinem observare videtur, revera nunquam a proposito egreditur atque ea sola scribit, quae scripturus calamum sumpsit. Una in epistola pluribus de rebus disserere, ut mos fuit apud nos celeberrimis auctoribus, Aeneas non solet ac

(1) Ep. 2, 3, 8, 11.

rarissime ab una materia transit ad alteram ; cuique epistolae, suum argumentum, quamobrem in editione basiliensi grandibus epistolis brevissimos praescribi licuit hujusmodi titulos : agricultura laudatur ; de superbia Gallicorum ; de filio suo ; novitates de Turcis (1).

Principali quidem tractata quaestione, si qua supersunt Aeneae scribenda, ea quam paucissimis inserit vel ante, vel post hoc verbum vale, quo more veterum epistolas terminare solet ; ipsi tamen, nulla certa consuetudo ; verbo vale nunc nihil subjungit, nunc pauca amice scripta : « Vale, mei memor et amator ut solebas ; vale meque uti consuevisti dilige, quod mutuum est » (2), et alia generis ejusdem.

In extremo loco, dies nonnunquam adscribitur, quo tamen epistolae nostrae plerumque carent, sive minuta illa Aeneas negligenter tractavit, sive potius, die apposito in exemplo quod emittebatur, hanc partem ut inutilem amputabat cum epistolas in libro suo transcribebat : monumenta enim historica se scripsisse minime credebat, sed specimina latini sermonis, quae posteri essent imitaturi, stili solius curiosi nec diei locique quibus data fuisset haec aut illa epistola.

(1) Ep. 5, 11, 15, 44.
(2) Ep. 88, 90.

CONCLUSIO

Ciceroni vel Plinio Aeneam comparare, injuriosum foret; aequalibus ejus, prope supervacaneum. Quantum enim inter eum et humanistas temporis ipsius intersit, jam amplius ostendimus, neque his illum conferre licet, cum homines diversi diversas res in epistolis tractaverint. Quantum quidem ad orationem, collatione uti possemus, nisi, ut in materia dicendi dissimiliores, ita in forma similiores essent ut compararentur. Eorum enim scriptorum qui patrio sermone usi sunt, copioso ac flexibili, quisque se excerpere potuit aliisque alios conferre prodest; alienam vero linguam Aeneas atque aequales ejus pari disciplina didicerant, ex quo factum est ut, cum latine scriberent, unum esset eis dicendi genus. Eodem quidem tempore, plurimi epistolas composuerunt, Aeneae minime adaequandi, immo prorsus impares; sin autem auctores inspicias, quorum oratio pura fama-

que superstes, utrum illi stilo praeponendi sint, an non, aegre discernas. Illustrem virum Poggium optimum fuisse latinitatis auctorem, inter omnes convenit, quem Aeneas ipse conficiendis in epistolis imitatus fuit (1) ; illi tamen hunc haud imparem existimabis, utriusque opera si comparaveris : apud Poggium enim nimia impedimenta, verba *ut* et *cum* saepius iterata, minus accurata constructio. Pariter nec Philelphus, unus e celeberrimis humanistis, quem docentem Aeneas audiverat, in epistolis suis discipulo praestantiorem se praebet : ambitus enim verborum apud eum contractior ac brevior, hujusque verbi *sum* usus immodicus. Philelpho quidem vel Poggio Aeneam oratione praeponendum non contendo, sed hunc illustrissimis epistolarum auctoribus eodem tempore florentibus omnino adaequandum.

Eorum instar, vulgari illi linguae, quam Dante Alighieri, Boccacius et Petrarcha, saeculo quarto decimo, tantum illustraverant, Aeneas male anteposuit latinum istum sermonem, quem saeculo decimo quinto singulis in civitatibus Italiae, ut in litterariis officinis, philologi ac rhetores et grammatici multo labore refingere conabantur. Eo enim opera ejus prope periit, quia nec majorum institutionem in rem suam convertere potuit, nec verbis antiquis cogitationes explicare novas, neque a posteris plane intellegi.

Eorum vero dissimilis fuit, uti diximus, et victu et ingenio, quibus quidem propior erat Francisco

(1) Voigt, *Enea Silvio de' Piccolomini*, t. II, p. 277.

Petrarchae, artis epistolaris apud recentiores celeberrimo magistro. Illius enim plurimis in locis Aeneas opiniones reddit, scribendi formam imitatur atque, ejusdem exemplo, naturam sequitur, cum se ipsum consuetudinesque suas ac tempus suum epistolis in suis ostendere curet. Quod vero ne assequeretur, latini sermonis usus nullo fere modo impedivit eum, nec picturae morum inveniuntur vividiores apud auctores aetatis ejusdem quibus minus casta fuit oratio. Altera autem ex parte, tametsi scholasticae res in epistolis ejus rarius agitantur quam apud plerosque humanistas, eo incomptiorem stilum ipsius fuisse minime videtur. Ineuntis ergo quinti decimi saeculi scriptorum latinorum italissimus, ut ita dicam, atque italorum latinissimus Aeneas Sylvius Piccolomini existimari potest.

VIDI :

Lutetiae Parisiorum,
die XVI mensis Junii ann. MCMIII,
Facultatis litterarum in Universitate parisiensi
decanus :

A. CROISET.

TYPIS MANDETUR :

Academiae parisiensis rector :

L. LIARD.

INDEX

90 000. — Imp. P. LEGENDRE & Cie, 14, rue Bellecordière, Lyon.